

Th 36.762

Quellensammlung zur kirchlichen Rechtsgeschichte  
und zum Kirchenrecht.  
Herausgegeben von Eduard Eichmann.

2

13-D-76/2

# Kirche und Staat.

## II.


### Von 1122 bis zur Mitte des 14. Jahrhunderts.

Herausgegeben

von

Dr. Eduard Eichmann,  
Universitätsprofessor in Wien.

Th 204/2



4425-I



Paderborn 1914.

Druck und Verlag von Ferdinand Schöningh.

1495/2.

**ÚSTŘEDNÍ KNIHOVNA**  
**PRÁVNICKÉ FAKULTY UJEP**  
**STARÝ FOND**  
 Č. inv.: 03501

## Inhalt.

	Seite
<b>I. Kirche und Imperium.</b>	
<b>Papsttum und Kaisertum . . . . .</b>	<b>1—93</b>
<b>A. Einheitsidee . . . . .</b>	<b>1—25</b>
1. Theorien . . . . .	1— 7
2. Schwertertheorie . . . . .	7—15
3. Acht und Bann . . . . .	15—17
4. Bürgerliche Wirkungen des Kirchenbannes . . . . .	17—19
5. Insbesondere Kirchenbann und Königswahlrecht . . . . .	19—21
6. Ketzergesetze . . . . .	21—25
<b>B. Vorzugsstellung der Kirche . . . . .</b>	<b>26—56</b>
1. Die zwei Himmelslichter; Seele und Leib . . . . .	26—28
2. Vorrang des kirchlichen Rechts . . . . .	28
3. Pflichten des Kaisers gegen Kirche und Papst . . . . .	28—31
4. Schutz und Förderung der Kirche . . . . .	31—56
1. Gesetze über die Freiheit der Kirche . . . . .	31—42
2. Ausstattung der Kirchen. Reichskirchen. Bischöfe als Vasallen des Reichs. Reichsfürstenstand der Bischöfe . . . . .	42—49
3. Königsschutz . . . . .	49—50
4. Gottesfrieden und Asylrecht . . . . .	50—51
5. Freiheit der Bischofswahl . . . . .	52
6. Verzicht auf Spolien- und Regalienrecht . . . . .	52—55
7. Schutz der geistlichen Standesprivilegien . . . . .	55—56
<b>C. Kirchliche Stellung und Rechte des Kaisers . . . . .</b>	<b>56—93</b>
1. Salbung und Krönung . . . . .	56—84
2. Belehnung mit den Mathildischen Gütern . . . . .	84
3. Der Kaiser Canonicus von St. Peter . . . . .	85
4. Servitium regis der Reichskirchen . . . . .	86—87
5. Befreiung der Kleriker im Königsdienst von der Residenzpflicht . . . . .	87
6. Recht der ersten Bitten . . . . .	88
7. Kirchliche Exemption des Kaisers . . . . .	89—93

	Seite
<b>II. Kampf zwischen Papsttum und Kaisertum.</b>	94—130
1. Das Imperium ein päpstliches Lehen? . . . . .	94—105
2. Der Eid des Kaisers ein Lehenseid? . . . . .	105—109
3. Streit um den Marschallsdienst . . . . .	110—112
4. Streit über die Form des schriftlichen Ver- kehrs . . . . .	112
5. Streit über die Bedeutung der Krönung und Sal- bung . . . . .	112—119
6. Streit über die Bedeutung der Königswahl . . . . .	119—122
7. Rom kaiserliche oder päpstliche Stadt? . . . . .	122—123
8. Sieg des Papsttums . . . . .	124—130
<b>III. Der Hierokratismus . . . . .</b>	<b>131—163</b>
1. Die hierokratische Theorie . . . . .	131—142
2. Approbation des deutschen Königs . . . . .	142—150
3. Translationstheorie . . . . .	152
4. Päpstliches Entscheidungsrecht bei zwiespäl- tiger Königswahl . . . . .	151
5. Papst und Reichsverwesung . . . . .	152—155
6. Absetzung des Kaisers . . . . .	155—158
7. Annullierung weltlichen Rechts . . . . .	159—163
<b>IV. Die Reaktion . . . . .</b>	<b>164—182</b>
1. Prophezeiung des Alexander von Roes . . . . .	164
2. Dante über die Himmelslichter, Schwerterlehre, Konstantinische Schenkung . . . . .	165—169
3. Johannes von Paris . . . . .	169—170
4. Marsilius von Padua . . . . .	171—173
5. Absetzung Johans XXII. durch Ludwig den Bayern (Gloriosus Deus) . . . . .	174—177
6. Weistum von Rense 1338 . . . . .	177—178
7. Gesetz Licet iuris 1338 . . . . .	179—180
8. Occam . . . . .	180—182

### Literatur.

Die beste, objektive Darstellung des Verhältnisses von Kirche und Staat bietet R. v. Scherer, Handbuch des Kirchenrechts I 1886, S. 27—110; Ders., Art. Kirche und Staat, im Staatslexikon der Görresgesellschaft III<sup>3</sup> S. 122—142. Die dort angegebene Literatur ist zu ergänzen aus J. B. Sägmüller, Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts\* 1914, § 14, Abschnitt: Kirche und Staat. Dahlmann-Waitz, Quellenkunde zur deutschen Geschichte<sup>6</sup> 1912.

Über die Geschichte der deutschen Kirchenverfassung ist zu vergleichen das zusammenfassende Werk von A. Werminghoff, Geschichte der Kirchenverfassung Deutschlands im Mittelalter I 1905.

Derselbe, Verfassungsgeschichte der deutschen Kirche im Mittelalter<sup>2</sup> 1913 (Grundriß der Geschichtswissenschaft, herausgegeben von Aloys Meister, II 6). Die Spezialliteratur ist hier vollständig verzeichnet.

Ulrich Stutz, Kirchenrecht in Holtzendorff-Kohler, Rechtsenzyklopädie<sup>7</sup> V 1 S. 275 ff., mit reichen Literaturangaben.

Für die deutsche Verfassungsgeschichte:

A. Meister, Deutsche Verfassungsgeschichte von den Anfängen bis ins 15. Jahrhundert<sup>2</sup> 1913 (Grundriß der Geschichtswissenschaft II 3).

H. Brunner, Deutsche Rechtsgeschichte (I<sup>2</sup> 1906) II 1892.

### Berichtigungen und Ergänzungen.

S. 9 Z. 15 v. o.: lies et ab statt ab et.

S. 19 A. 1 vgl. jetzt E. Eichmann im Histor. Jahrbuch 1914 S. 273 ff.

S. 21 Anm. 1: Krönungsgesetz Friedrichs II. n. 6, unten S. 38.

S. 28 Nr. 17 (Sicherheitseid). Alexander II 1064, 1065; MG. Const. I 552: Quia vetus consuetudo est, ut in libris Teutonicorum sicut in nostris invenitur, cum imperialis corona queritur, prius securitatem a prioribus curiae regis in papam et a legatis Romanis a papa in regem de vita et membris, honore et captura fieri oportet necessario, ut huius securitatis firmitas ex utraque parte ad alterutrum procedat.

S. 29 Z. 8 v. o.: lies Lothar II (statt III).

S. 56 Nr. 24d. Vgl. auch Treuga Henrici 1224 c. 20: Nullus in advocatiis inimico suo malum inferet, quoniam res ecclesiarum esse noscuntur et sub protectione domni pape et imperatoris consistunt; quod si secus fecerit, proscribatur et excommunicetur.

S. 84 Z. 12 v. o.: lies Lothar II (statt III).

S. 97 A. 1: Zur Sentenz Friedrichs I. von 1173 vgl. den Ausspruch Friedrichs II., April 1232, MG. Const. II 192: ipso auctore, per quem reges regnant . . . qui super gentes et regna constituit sedem nostram.

S. 130 A. 1: Vgl. jetzt R. Moeller, Ludwig der Bayer und die Kurie im Kampf um das Reich. 1914. S. 157 ff.

S. 110 Z. 2 v. o.: lies Nr. 17e, f (statt d).

### Abkürzungen.

MG. = Monumenta Germaniae historica.

SS. = Scriptorum.

Const. = Constitutiones.

Lib. = Libelli de lite.

Dipl. = Diplomata regum et imperatorum.

Ep. = Epistolae.

PL. = Patrologia latina.

MIÖG. = Mitteilungen des Instituts für österreichische Geschichtsforschung.

SB. = Sitzungsberichte.

# I. Kirche und Imperium. Papsttum und Kaisertum.

## A. Einheitsidee.<sup>1</sup>

### 1. Theorien.

#### Nr. 1.

#### *Gebet für Kaiser und Reich.*

a) Oration für den Kaiser aus der Karfreitagsliturgie.  
Sacramentarium Gelasianum.

H. A. Wilson, *The Gelasian Sacramentary* 1894. p. 76.

Oremus et pro Christianissimo Imperatore vel rege nostro ill., ut Deus omnipotens subditas illis faciat omnes barbaras nationes ad nostram perpetuam pacem.<sup>2</sup>

Oremus. Omnipotens sempiternus Deus, qui regnis omnibus aeterna potestate dominaris, respice propitius ad Romanum sive Francorum benignus Imperium, ut gentes quae in sua feritate confidunt dexteræ tuæ potentia comprimantur.

<sup>1</sup> E. Eichmann, *Acht und Bann im Reichsrecht des Mittelalters* 1909, S. 26 ff.

<sup>2</sup> Schreiben der italienischen Bischöfe gegen Elipand 794 (Paulinus von Aquileia, *Sacrostylabus*) MG. Conc. II 141: Barbaras etiam nationes infinita Deus omnipotens ditioni eius (sc. Caroli regis) potentia subdat, ut ex hac occasione ad agnitionem perveniant veritatis et cognoscant verum et vivum Deum creatorem suum.

Alkuin an Karl d. Gr. 800, MG. Ep. IV 336: Vestra vero sancta voluntas atque a Deo ordinata potestas catholicam atque apostolicam fidem ubique defendat; ac veluti armis imperium christianum fortiter dilatare laborat, ita et apostolicæ fidei veritatem defendere, docere, et propagare studeat, ipso auxiliante, in cuius potestate sunt omnia regna terrarum; quatenus cum multiplici laboris mercede ad perpetui regni beatitudinem pervenire merearis.

Kaiser Ludwig II. an Kaiser Basilius 871, MG. SS. III 522: Unum est enim imperium Patris et Filii et Spiritus sancti, cuius pars est ecclesia constituta in terris.

pura religione concordantibus corpus ecclesiae spirituali lumine regi et illuminari probatur.

Nr. 3.

*Konstanzer Vertrag zwischen Papst Eugen III.  
und König Friedrich I. Jan.—März 1153.*<sup>1</sup>

MG. Const. I 201.

In nomine Domini amen. Haec est forma concordiae et conventionis inter domnum papam Eugenium et domnum regem Romanorum Fridericum constituta, mediante cardinalibus Gregorio Sanctae Mariae trans Tyberim, Ubaldo Sanctae Praxedis, Bernhardo Sancti Clementis, Octaviano Sanctae Ceciliae, Rollando Sancti Marci, Gregorio Sancti Angeli, Widone Sanctae Mariae in Porticu, abbate Brunone de Caravalle ex parte domni papae; Anselmo Havelbergensi, Herimanno Constantiensi episcopis, Outhelrico de Lenceburch, Widone Werra, Widone Blaudratense comitibus ex parte domni regis.

1. Domnus siquidem rex iurare faciet unum de ministerialibus regni in anima regis, et ipse idem manu propria data fide in manu legati domni papae promittet: quod ipse nec trevam nec pacem faciet cum Romanis nec cum Rogerio Siciliae sine libero consensu et voluntate Romanae ecclesiae et domni papae Eugenii vel successorum eius, qui tenorem subscriptae concordiae tenere cum rege F(riderico) voluerint. Et pro viribus regni laboravit Romanos subiugare domno papae et Romanae ecclesiae, sicut unquam fuerunt a centum annis retro.

2. Honorem papatus et regalia beati Petri sicut devotus et specialis advocatus sanctae Romanae ecclesiae contra homines pro posse suo eidem conservabit et defendet, quae nunc habet. Quae vero nunc non habet, recuperare pro posse iuvabit, et recuperata defendet.

3. Graecorum quoque regi nullam terram ex ista parte maris concedet. Quodsi forte ille invaserit, pro viribus regni, quantocius poterit, ipsum eicere curabit. Haec omnia faciet et observabit sine fraude et malo ingenio.

4. Domnus vero papa apostolicae auctoritatis verbo una cum predictis cardinalibus in presentia prescriptorum legatorum domni regis promisit et observabit: quod eum

<sup>1</sup> A. Hauck, Kirchengeschichte Deutschlands IV<sup>2</sup>—4 203.

sicut karissimum filium beati Petri honorabit, et venientem pro plenitudine coronae suae sine difficultate et contradictione, quantum in ipso est, in imperatorem coronabit, et ad manutenendum atque augendum ac dilatandum honorem regni pro debito officii sui iuvabit.

5. Et quicumque iusticiam et honorem regni conculcare aut subvertere ausu temerario presumpserint, domnus papa a regiae dignitatis dilectione premonitus, canonice ad satisfactionem eos commonebit. Quodsi regi ad apostolicam admonitionem de iure et honore regio iusticiam exhibere contempserint, excommunicationis sententia innotentur.

6. Regi autem Graecorum ex ista parte maris terram non concedet. Quodsi ille invadere presumpserit, domnus papa viribus beati Petri eum eicere curabit.

7. Haec omnia ex utraque parte sine fraude et sine malo ingenio servabuntur, nisi forte libero et communi consensu utriusque immutentur.

Nr. 4.

*Hugo v. St. Victor, De sacramentis II 2 c. 3.*

Migne PL. 176., 417.

De duobus parietibus Ecclesiae, clericis et laicis.

Universitas autem haec (sc. christianorum = ecclesia) duos ordines complectitur, laicos et clericos, quasi duo latera corporis unius. Quasi enim ad sinistram sunt laici qui vitae praesentis necessitati inserviunt . . . Clerici vero quoniam ea quae ad spiritualem vitam pertinent dispensant, quasi dextera pars sunt corporis Christi.

Nr. 5.

*Friedrich I. an König Heinrich von England,  
28. Oktober 1159.*

MG. Const. I 254.

Unde nos, qui unitatem colimus et omnes unum corpus sumus ecclesiae, non dolere non debemus, quod, scissa illa tunica inconsutili, unitate scilicet ecclesiae, duos apostolicos in Romana ecclesia videmur habere.

Vgl. Rundschreiben Friedrichs I. vom Oktober 1157 („scisma inter regnum et sacerdotium“) s. Nr. 32d.

## Nr. 6.

*Pfalzgraf Ludwig,**Zustimmung zur goldenen Bulle von Eger, 6. Oktober 1214.*

MG. Const. II 63.

Cum pro reformanda pace et sopienda discordia, que fuit inter ecclesiam et imperium pro quibusdam abusionibus et possessionibus et aliis rationibus detentis seu occupatis a quibusdam imperatoribus et regibus predecessoribus domini Frederici Dei gratia Romanorum regis et semper augusti et regis Siciliae, ipse dominus noster rex de voluntate nostra et conscientia et consensu nostro dimiserit, contulerit, donaverit seu renuntiaverit ac restituerit per privilegium suum possessiones ipsas et alia supradicta libere et absolute spontanea voluntate sanctissimo patri suo et domino nostro Innocentio sancte Romane ecclesie summo pontifici et eius successoribus in perpetuum, attendens ecclesiam et imperium esse unum et idem et mutuis se debere vicissitudinibus adiuvari, nos ipsum privilegium approbamus . . .

## Nr. 7.

*Friedrich II. an Gregor IX.**3. Dezember 1232.*

Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Friderici secundi, IV 1, 408.

Nos duo, qui unum dicimur et idem pro certo sentimus, salutem communis fidei unanimiter procuremus. Relevemus ecclesiasticam libertatem oppressam et tam ecclesie iura quam imperii restaurantes, commissos nobis gladios in perversores fidei et rebelles imperii acuamus. Vgl. Nr. 10 l.

## Nr. 8.

*König Wenzel an König Richard von England,**20. Mai 1379.*

Raynald, Ann. Eccles. a. 1379 n. 41.

Nos quibus imperium universae reipublicae temporalis a solo Deo ideo fore concessum dignoscitur, ut sicut

cortex arboris lignum naturae ministerio tegit corpus contra omnem intemperiem hyemis et aestus, ut simul uniti, vitale quodammodo faciant unum corpus; sic et in superficie ecclesiae positi sumus cum gladio materiali, ut ipsam proprio sanguine quando fiat expediens, contra omnes incongruentes tempestates et turbines defendamus.

Vgl. auch Nr. 10 e, i, l, p; 40 e, f.

2. Schwertertheorie.<sup>1</sup>

## Nr. 9.

*Die ältere Schwertertheorie.*

a) Alkuin an Karl d. Gr. ca. 798.

MG. Ep. IV 205.

Quod autem discipuli dixerunt: „Ecce duo gladii hic sunt“, et Dominus respondit: „Satis est“, duo gladii sunt corpus et anima, in quibus unusquisque secundum sibi a Deo datam gratiam in Domini Dei voluntate proeliare debet.

b) Alkuin an Karl d. Gr. nach März 799.

MG. Ep. IV 281.

His duobus gladiis vestram venerandam excellentiam dextra levaque divina armavit potestas . . . hoc mirabile et speciale in te pietatis Dei donum praedicamus, quod tanta devotione ecclesias Christi a perfidorum doctrinis intrinsecus purgare tuerique niteris, quanta forinsecus a vastatione paganorum defendere vel propagare conaris.

c) Walafrid Strabo, Glossa ordinaria, Evangel. sec. Lucam 22, 38.

Migne PL. 114., 340.

Ecce duo gladii hic, unus novi, alter veteris testamenti.<sup>2</sup>

<sup>1</sup> E. Eichmann, Acht und Bann S. 26 ff.<sup>2</sup> Der Mönch Angelomus an Kaiser Lothar I. 851/52 (MG. Ep. V 629) nennt den Kaiser „gladii divinarum scripturarum accinctus“.

## Nr. 10.

*Die Auslegung von Luc. 22, 38—40: Ecce duo gladii hic.*

a) Heinrich IV. 1076.  
MG. Const. I 112.

... Sicut ipse dominus Salvator in passione sua de duorum gladiorum sufficientia typice intelligi innuit. Cui cum diceretur: domine ecce duo gladii hic, respondit: satis est.

b) Heinrich IV. an die Bischöfe 1076 (gegen Gregor VII.).  
MG. Const. I 112.

Regnum et sacerdotium sibi usurpavit; me, quem Deus in regnum vocavit; ipse me regem non constituit, regno privare studuit. Deus non unum sed duos gladios satis esse dixit. Ipse vero unum fieri intendit.

c) Petrus Damiani, Sermo 69.  
Migne PL. 144., 900.

Felix, si gladium regni cum gladio iungat sacerdotii, ut gladius sacerdotis mitiget gladium regis, et gladius regis gladium acuat sacerdotis. Isti sunt duo gladii, de quibus in Domini passione legitur: Ecce duo gladii hic; et respondetur a Domino: Sufficit. Tunc enim regnum provehitur, sacerdotium dilatatur, honoratur utrumque, cum a domino praetaxata felici confoederatione iunguntur.

d) Schrift über die Investitur der Bischöfe 1109.  
MG. Lib. II 499.

... ut gladius regalis et stola Petri sibi invicem subveniant quasi duo cherubim conversis vultibus respicientia in propiciatorium.

e) Hildebert von Lavardin, Ep. 18. (ca. 1110).  
Migne PL. 171., 227.

... Duos in coena fuisse gladios, hoc quoque legis et intelligis. Unum quidem Petrus in Malchum vibravit, dum Malchus in Christum manus extenderet. Alter vero eductus fuisse non legitur. Apte profecto uterque inventus est apud discipulos Christi, quia adhuc uterque invenitur in membris corporis Christi. Membrum enim Christi, rex; membrum Christi, sacerdos... Nosti gladium regis. Nosti

gladium sacerdotis. Gladius regis, censura curiae; gladius sacerdotis, ecclesiasticae rigor disciplinae. Hos evangelistam figurasse legisti dicentem: Domine, ecce duo gladii hic (Luc. 22, 38).

f) S. Bernhard, De consideratione IV 3 n. 7 (an Eugen III).  
Migne PL. 182., 776.

... quem tamen, qui tuum negat (sc. gladium materiale), non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic: converte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo et ipse, tuo forsitan nutu, etsi non tua manu evaginandus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret et is, dicentibus apostolis, ecce duo gladii hic, non respondisset Dominus: satis est, sed nimis est. Uterque ergo Ecclesiae et spiritualis scilicet gladius, et materialis; sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab et Ecclesia exserendus: ille sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum sacerdotis et iussum imperatoris.

g) S. Bernhard, Ep. 256, 1 (an Eugen III.).  
Migne PL. 182., 464.

Exserendus est nunc uterque gladius in passione Domini, Christo denuo patiente, ubi et altera vice passus est. Per quem autem nisi per vos? Petri uterque est, alter suo nutu, alter sua manu, quotiens necesse est, evaginandus. Et quidem de quo minus videbatur, de ipso ad Petrum dictum est: converte gladium tuum in vaginam. Ergo suus erat et ille, sed non sua manu utique educendus.

h) Johannes von Salisbury, Policraticus (1159) l. IV c. 3  
ed. Webb (1909) I 515.

Hunc ergo gladium de manu Ecclesiae accipit princeps, cum ipsa tamen gladium sanguinis omnino non habeat. Habet tamen et istum, sed eo utitur per principis manum, cui coercedorum corporum contulit potestatem, spiritualium sibi in pontificibus auctoritate servata. Est ergo princeps sacerdotii quidem minister et qui sacerdotum officiorum illam partem exercet quae sacerdotii manibus videtur indigna. Sacrarum namque legum omne officium religiosum et pium est, illud tamen inferius, quod in penis criminum exercetur et quandam carnificii repraesentare videtur imaginem... Profecto, ut Doctoris gentium testimonio utar, maior est qui benedicit quam qui bene-

dicitur, et penes quem est conferendae dignitatis auctoritas eum, cui dignitas ipsa confertur, honoris privilegio antecedit. Porro de ratione iuris, eius est nolle cuius est velle, et eius est auferre qui de iure conferre potest. Nonne Samuel in Saulem ex causa inobedientiae depositionis sententiam tulit, et ei in regni apicem humilem filium Isai subrogavit?

i) Glosse des Alanus (ca. 1210).

J. F. von Schulte, *Literaturgeschichte der compilationes antiquae*,  
S. B. der k. Akademie der Wissenschaften zu Wien,  
phil.-hist. Kl. 66. (1871), 89 ff.

Argumento, quod imperator gladium non habeat a papa . . . Ad haec dicunt quidam, quod potestatem et gladium habet tantum a principibus, quorum est imperatorem eligere ex iure consuetudinario; sub papa consentientibus principibus accusari potest et etiam deponi, subest tamen papae quoad spiritualia. Verum tamen papa imperatori non subest nec quoad spiritualia nec quoad temporalia. Ecclesia enim et omnes res eius a laica potestate sunt exemptae . . . Verius est quod gladium habeat a papa. Est enim corpus unum ecclesiae, ergo unum solum caput habere debet. Item dominus utroque gladio usus est . . . Sed Petrum vicarium suum in terris in solidum constituit, ergo utrumque gladium ei reliquit. Item si dominus materialem gladium habuit, dicas, quem principem sibi vicarium in hoc constituit. Item Moyses utrumque habuit, cuius successor est papa in novo testamento. Item ipse Petrus dixit domino: Ecce duo gladii hic: ergo illi gladii apud Petrum tunc fuerunt. Item si quoad temporalia imperator sub papa non fuisset, ergo de eis sub papa respondere non teneretur, at in neutra princeps a papa depositus ut XV. q. VI. alius.<sup>1</sup> Propter hoc dicatur, quod gladium materialem habet a papa . . . Si ergo papa iudex ordinarius est et quoad spiritualia et quoad temporalia, potest ab eo deponi imperator et eodem modo quilibet laicus habens potestatem vel dignitatem aliquam sub imperatore, si plenitudine potestatis suae uti vellet. Sed numquid pro omni crimine potest deponi imperator? Respondeo: immo pro nullo, nisi persistere in illo contenderit. Sed nec tunc forte pro omni, sed solum pro tali, quod scandalum inducit, ut est haeresis, symonia, discordia

<sup>1</sup> = c. 3 C. xv qu. 6.

continua et si qua sunt similia. Sub ipso tamen principes constituti pro minori causa deponi possunt . . . Et quod dictum est de imperatore, dictum habeatur de quolibet rege vel principe, qui nulli subest.

k) Sachsenspiegel, Landrecht I 1.

Text nach Zeumer, *Quellensammlung*<sup>2</sup> 59.

Zwei swert liet Got in ertriche zu beschirmende die kristenheit; deme pavese ist gesazt daz geistliche, deme keisere das werliche. Deme pavese is och gesazt zu ridene [zu] bescheidenir zit uph eyneme blanken pherde, unde die keiser sal ime den stegerip halden, durch das die sadel nicht ne wike. Diz is die bezeichenisse: swaz deme pavese wedersazich si, daz her mit geistlicheme rechte nicht dvingen ne mach, daz ez der keiser mit wertlikeme rechte dvinge, deme pavese horsam zu wesende. So sal ouch die geistliche walt helpfen deme wertliken gerichte, ob it iz bedarf.<sup>1</sup>

l) Schreiben Friedrichs II. an Gregor IX. 3. Dez. 1232.<sup>2</sup>

Huillard-Bréholles IV 1 408 ff.

. . . quamquam haec duo, sacerdotium et sacrum imperium, vocabulorum appareant nuncupatione discreta, significationis tamen effectu sunt eadem eiusdem originis, divinae potentiae scilicet initiata principiis eiusdemque gratiae favore fovenda, et quod abominamur exprimere, eiusdem nostrae communis fidei subversione tollenda. Quas etenim oves pascet pastor Ecclesiae, si gramina fidei desiccantur? Quibus fidelibus sacrum imperium imperabit, si deficiente fide deficiant qui sibi tenentur ex fide? Eadem est ergo . . . languentis fidei nostrae medela, idem est gladius; sed tamen bis acutus velut proprietate pluralis numeri quo usus est Petrus in evangelio dicens: „Ecce duo gladii hic“, ut ad litteram et ad oculos alludamus qui ad intellectum hactenus verba retulimus: duo vere sunt gladii, sed una eadem mater ecclesia fidei nostrae genitrix est vagina duorum, quod aperte

<sup>1</sup> Vgl. Summa Magistri Rolandi D. 10 ed. Thaler 5: Quod tribunalia regum sacerdotali sint potestati subdita, et quod pontifices et reges sese indigent. Urban III. an Friedrich I. 18. Juni 1186, MG. Const. I 441: cum ad hoc sapientia Dei duorum censuram gladiatorum statuerit, ut, dum alter alteri cohaereret, iniquorum malitiam districtio unius compesceret et contemptentes alterius potentia refrenaret. <sup>2</sup> Vgl. auch Nr. 7.

discernere voluisse dicentem significatio propria adverbii localis ostendit. Dum enim ‚hic‘ dixit, ostendere voluit quod gladiatorum amborum unus est locus, ex quo invincibiliter assumitur et necessario comprobatur quod gladiatorum istorum una sit substantia, cum sit impossibile de natura unum et eundem locum duas posse substantias continere. Profecto vagina eadem hos duos gladios sic effectualiter unum facit quod non aliter unus ab altero integritate alterius servata seungitur quam pars a toto deducitur absque corruptione subiecti, vel, ut videat oculus quod forte non concipit intellectus, in eadem vagina corporea duobus gladiis conditis, sublato altero, impossibile sequitur quin in vagina residuus non vagetur. Absit a nobis unquam, pater et pastor ecclesiae, non levis aut simplex, imo bruta credulitas quod istud individuum gladiatorum, patris et filii unio, recipiat sectionem; imo firmiter credimus et publice profitemur quod nos duo velut pater et filius unum sumus. Nos duo qui unum dicimur et idem pro certo sentimus, salutem communis fidei unanimiter procuremus. Relevemus ecclesiasticam libertatem oppressam et tam ecclesiae iura quam imperii restaurantes, commissos nobis gladios in perversores fidei et rebelles imperii acuamus.

m) Gregor IX. 18. Mai 1233 an den Patriarchen Germanus von Konstantinopel.  
Mansi, Concil. XXIII 60.

Si materiale gladium pertinere concedis ad potentiam temporalem, attende quid in Matthaei evangelio Dominus dicat Petro: converte gladium tuum in locum suum. Dicendo „tuum“ materiale signavit gladium, quo percusserat ille servum principis sacerdotum. Uterque igitur gladius ecclesiae traditur; sed ab ecclesia exercetur unus; alius pro ecclesia, manu saecularis principis est eximendus, unus a sacerdote, alius ad nutum sacerdotis administrandus a milite. Vgl. Nr. 10 f, g, p.

n) Schwabenspiegel, Landrechtsbuch Art. 1  
Text nach Zeumer, Quellensammlung<sup>2</sup> 105.

Sit nu Got des frides furste haizet, so liez er zwai swert hie uf ertriche, do er ze himel fuor, ze schirme der cristenhait; diu lech unser herre sante Peter beidiu, einz von geistlichem gerihte, daz ander von weltlichem

gerihte. Daz weltlich swert des gerihtes daz lihet der babest dem cheiser, daz geistlich ist dem pabest gesezet, daz er da mite rihte. Dem pabest ist gesezet in bescheidenlicher zit ze riten uf einem blanchen pherde, und der cheiser sol dem pabest den stegreif haben, daz sich der sattel nit entwinde. Daz bezeichent: daz was dem pabest widerstê, des er mit geistlichem gerihte niht betwingen mac, daz sol der cheiser und ander weltliche rihter betwingen mit der ehte.

o) Gesamtwillebrief der Kurfürsten 1279.  
MG. Const. III 213.

... Hic (qui frena Romani teneret imperii) est illud luminare maius, Christi vicarium, illustratum. Hic est qui materiale gladium ad ipsius nutum excutit et convertit, ut eius presidio pastorum pastor adiutus oves sibi creditas spiritali gladio protegendo communiat, temporali refrenet et corrigat ad vindictam malefactorum, laudem vero credentium et bonorum.

p) Bulle Unam Sanctam Bonifaz VIII. 18. November 1302 c. 1 xvag. comm. 1, 8.  
H. Denifle, Specim. palaeogr. regest. Pont. rom. 1888. Tab. 46.

Unam sanctam ecclesiam catholicam, et ipsam apostolicam, urgente fide, credere cogimur et tenere. Nosque hanc firmiter credimus et simpliciter confitemur, extra quam nec salus est nec remissio peccatorum, sponso in canticis proclamante: „Una est columba mea, perfecta mea. Una est matris suae, electa genetricis suae.“ Quae unum corpus mysticum repraesentat, cuius corporis caput Christus, Christi vero Deus. In qua unus dominus, una fides, unum baptisma. Una nempe fuit diluvii tempore arca Noe, unam ecclesiam praefigurans, quae in uno cubito consummata, unum Noe videlicet gubernatorem habuit et rectorem, extra quam omnia subsistentia super terram legimus fuisse deleta. Hanc autem veneramur et unicam, dicente Domino in propheta: „erue a framea deus animam meam et de manu canis unicam meam“. Pro anima enim, id est, pro se ipso capite simul oravit et corpore. Quod corpus unicam scilicet ecclesiam nominavit propter sponsi, fidei, sacramentorum et caritatis ecclesiae unitatem. Haec est tunica illa domini inconsutilis, quae scissa non fuit, sed sorte provenit. Igitur ecclesiae unius et unice unum

corpus, unum caput, non duo capita quasi monstrum, Christus videlicet et Christi vicarius, Petrus Petrique successor, dicente domino ipsi Petro: „Pasce oves meas.“ Meas, inquit, generaliter non singulariter has vel illas, per quod commisisse sibi intelligitur universas. Sive igitur Graeci sive alii se dicant Petro eiusque successoribus non esse commissos, fateantur necesse est, se de ovibus Christi non esse, dicente domino in Ioanne: unum ovile et unicum esse pastorem.

In hac eiusque potestate duos esse gladios, spiritualem videlicet et temporalem, evangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus apostolis: „ecce gladii duo hic“, in ecclesia scilicet, cum apostoli loquerentur, non respondit dominus, nimis esse, sed satis. Certe qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, male verbum attendit domini proferentis: „Converte gladium tuum in vaginam.“<sup>1</sup> Uterque ergo est in potestate ecclesiae, spiritualis scilicet gladius et materialis, sed is quidem pro ecclesia, ille vero ab ecclesia exercendus, ille sacerdotis, is manu regum et militum, sed ad nutum et patientiam sacerdotis.<sup>2</sup> Oportet autem gladium esse sub gladio et temporalem auctoritatem spirituali subiici potestati. Nam cum dicat apostolus: „Non est potestas nisi a deo, quae autem sunt, a deo ordinata sunt;“ non ordinata essent, nisi gladius esset sub gladio et tanquam inferior reduceretur per alium in suprema. Nam secundum beatum Dionysium lex divinitatis est, infima per media in suprema reduci. Non ergo secundum ordinem universi omnia aequae ac immediate, sed infima per media, inferiora per superiora ad ordinem reducuntur. Spiritualem autem et dignitate et nobilitate terrenam quamlibet praecellere potestatem, oportet tanto clarius nos fateri, quanto spiritualia temporalia antecellunt. Quod etiam ex decimarum datione et benedictione et sanctificatione, ex ipsius potestatis acceptione, ex ipsarum rerum gubernatione claris oculis intuemur. Nam veritate testante spiritualis potestas terrenam potestatem instituere habet et iudicare, si bona non fuerit.<sup>3</sup> Sic de

<sup>1</sup> Vgl. den Anonymus über die Bulle Clericis laicos bei Scholz, *Publizistik* 477: Dixit ergo Iesus Petro: converte gladium, scil. materiale, in vaginam, non: proice a te, sed dicit converte in vaginam, hoc est in potestatem tuam, ut usum eius aliis possis committere quando tibi videtur expedire.

<sup>2</sup> Vgl. Nr. 10 f, g, m.

<sup>3</sup> Aus Hugo von St. Victor, *De sacram. II* 2 c. 4.

ecclesia et ecclesiastica potestate verificatur vaticinium Ieremiae prophetae: „ecce constitui te hodie super gentes et regna“ etc. quae sequuntur.

Ergo si deviat terrena potestas, iudicabitur a potestate spirituali; sed si deviat spiritualis minor, a suo superiori; si vero suprema, a solo deo, non ab homine poterit iudicari; testante apostolo: „spiritualis homo iudicat omnia, ipse autem a nemine iudicatur.“ Est autem haec auctoritas, etsi data sit homini, et exerceatur per hominem, non humana, sed potius divina potestas, ore divino Petro data, sibi quae suisque successoribus in ipso Christo, quem confessus fuit, petra firmata, dicente domino ipsi Petro: „Quodcumque ligaveris etc.“ Quicumque igitur huic potestati a deo sic ordinatae resistit, dei ordinationi resistit, nisi duo, sicut Manichaeus, fingat esse principia, quod falsum et haereticum esse iudicamus. Quia testante Moyse, non in principiis, sed in principio coelum deus creavit et terram. Porro subesse Romano Pontifici omni humanae creaturae declaramus, dicimus, et diffinimus, omnino esse de necessitate salutis.

### 3. „Acht und Bann.“<sup>1</sup>

Nr. 11.

a) Friedrichs I. Gesetz vom 29. Dezember 1186 gegen die Mordbrenner.

MG. Const. I 449.

c. 7. Proscriptum vero, quem pro incendio sententiam proscriptionis incurrisset omnibus notorium fuerit, dioecesianus episcopus, si ad satisfactionem inobediens extiterit, a communionem ecclesiae Dei et fidelium Christi abiciat et extraneum reddat nec eum absolvat, quoadusque laeso dampnum restituat; et e converso, quem episcopus legitimis iudiciis citatu iustitia dictante excommunicaverit et hoc iudici insinuaverit, iudex eum banno proscriptionis condempnet nec prius eum absolvat, quam coram episcopo de his, pro quibus condempnatus est, satisfaciat.

<sup>1</sup> E. Eichmann, *Acht und Bann* S. 111 ff.

c. 10. Si quis autem a proscriptione et excommunicatione simul infra annum et diem non fuerit absolutus, universo iure et honore et legalitate sua privatus habeatur, ita ut in ferendo testimonio vel ad causandum de cetero nequaquam sit admittendus. Omni quoque feudali iure perpetuo carebit.

c. 22. Statuimus etiam ut, si quis vineas aut pomeria exciderit, proscriptioni et excommunicationi incendiariorum subiciatur.<sup>1</sup>

b) Privileg Friedrichs II. vom 26. April 1220  
für die geistlichen Fürsten.

n. 7 und 8, s. Nr. 18b.

c) Reichslandfriede König Heinrich VII. (Treuga Henrici)  
Juli (?) 1224.

MG. Const. II 401.

art. 24. Quemcunque episcopus excommunicaverit et eum imperatori vel regi per litteras suas vel viva voce excommunicatum denunciaverit, illum et imperator et rex proscribent, et ab ea proscriptione, non nisi prius parti laesae satisfecerit, absolvetur.

d) Bestätigung des Privilegs vom 26. April 1220  
durch Rudolf I. am 13. März 1275,

MG. Const. III 70,

jedoch „excepto illo articulo de proscriptione contra excommunicatos, quem maturiori consilio diffiniendum duximus reservandum“.

e) Rudolfs I. bayerischer Landfrieden vom 6. Juli 1281 a. 38.

MG. Const. III 272.

Swelich graf, frei oder dienstman jar und tach in offen banne ist, den sol man in die aeht tûn. Ist es aber ein ander man, so sol man in ueber sehs wochen in die aeht tûn. Und swer so lang in der aeht ist, als da vor von dem bann geschriben ist, ouf den gevellet ze glicher wis der ban.

<sup>1</sup> Versprechungen König Philipps 1203 n. 9, MG. Const. II 9: Generale legem statuam et observari faciam semper et ubique per totum imperium, ut quicumque excommunicatus fuerit a domino apostolico, in banno statim sit imperiali.

f) Sachsenspiegel, Landrecht I 1.

Vgl. Nr. 10k.

g) Schwabenspiegel, Landrecht Art. 106.

Text nach Zeumer, Quellensammlung<sup>2</sup> 107.

Swer in alse vil ehte kumet, alse hievor gesprochen ist (Art. 103 ff.), der ist jegelichem rihter sines ahtes schatzes schuldig. Daz ist darumbe gesetzt, daz man die ahte furhte und schiere davon kume. Also der man ist in der ahte sehs wochen unde einen tag, so sol der rihter sine gewisse botten senden zuo dem geistlichen rihter, daz er in ze banne tuo. Also sol der geistlich tuon dem weltlichen, unde also im diu botschaft kumet, so sol er in in die ahte tuon. Man mag ouch verbannen einen jegelichen man in jegelichem gerihte, der in dem banne ist sehs wochen unde einen tag.

Art. 1. Zeumer 106. Als ein man in dem banne ist sehs wochen unde einen tac, so sol in der weltlich rihter ze aehte tuon, und swer och in der aehte is sehs wochen unde einen tac, den sol man ze pannen tuon.

#### 4. Bürgerliche Wirkungen des Kirchenbannes.<sup>1</sup>

Nr. 12.

Vgl. Konstitution Gregors VII. quoniam multos, c. 103 C. XI qu. 3; XII. allgemeines Konzil 1215 c. 3 (= c. 13 x 5, 7); x 5, 39; VI<sup>ti</sup> 5, 11.

a) Privileg Friedrichs II. für die geistlichen Fürsten  
vom 26. April 1220.

art. 6 und 7; s. Nr. 18b. hierzu c. 7 x 2, 1 (Alexander III.):

Quia postulasti a nobis, utrum excommunicatus in iudicio stare possit, respondemus, quod conveniri potest, et debet per alium in iudicio respondere, ne videatur de sua malitia commodum reportare.

b) Sachsenspiegel, Landrecht III 63 § 2.

Zeumer a. a. O. 65.

Die ban schadet der sele unde ne nymt doch nemande den liph, noch ne krenket nemande an lant rechte noch an lenrechte, da ne volge des küniges achte na.

<sup>1</sup> Eichmann, Acht und Bann S. 64 ff.

Eichmann, Quellensammlung zu „Kirche u. Staat“ 2.

Vgl. Summa Magistri Rolandi zu C. 23 qu. 3 ed. Thiner 103: cum igitur anathema non corporalis sed spiritualis sit multatio.

Vgl. Bulle Salvator generis humani art. 2, s. Nr. 46.

c) Sachsenspiegel, Lehenrecht 12, 2.

Zeumer a. a. O. 67.

Des virbannen mannes oder virachten mannes unde virvesteden mannis tzuch mach men wol virlecgen binnen deme gerichte, da her gebannen is oder in achte getan is oder virvestit is. Vorsprechen ne mogen se nicht wesen. Claget se uph ymande, her ne darf ine nicht antworden, ob her den ban oder achte oder vestinge getzugen mach. Doch muzen se antworden hibinnen alle den, de uphe se elaget.

d) Sentenz Heinrichs VI. 10. Februar 1234.

MG. Const. II 427.

Henricus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus universis fidelibus quibus presens littera fuerit ostensa gratiam suam et omne bonum. Omnibus esse notum volumus, quod in solempni Vrankenvorde curia nostra plerisque imperii principibus nobis assidentibus, abbate Sancti Galli sententiam dictante, a nobis sententia-liter fuit diffinitum: quod nullus a nostra regia maiestate vel alia iudiciaria auctoritate proscriptus vel a domino papa et alio iudice ecclesiastico excommunicatus a domino suo habet ius feudum petendi, cum excommunicatus ad actus legitimos non sit admittendus.

e) Sentenz Konrads IV. Mai 1240.

MG. Const. II 443.

. . . quod durantibus in excommunicatione sua possint feuda denegari et detineri legitime, eo quod tales communione debita sint privati.

f) Mandat König Wilhelms 13. August 1253.

MG. Const. II 470.

. . . Universitatem vestram scire volumus, quod nobis pro tribunali apud Traiectum sedentibus quaesitum extitit: utrum sententiae latae a scabinis vel quibuscumque aliis post excommunicationis sententiam in eos promulgatam vim aliquam deberent habere vel firmitatem. Ad quod

responsum extitit coram nobis per sententiam: quod huiusmodi sententiae post excommunicationis sententiam latae nec vim habeant nec firmitatem. Unde nos auctoritate regia predictas sententias taliter ut dictum est latas revocamus et nullas esse penitus denunciamus.

Vgl. hierzu c. 24 x 2, 27; c. 13, 18 x 5, 31; Privileg Friedrichs II. v. 26. April 1220 art. 6: quod excommunicatio perimat in eis ius et potestatem ferendi sententias. Friedrichs II. Ges. v. 22. Nov. 1220 § 7, s. Nr. 18b.

## 5. Insbesondere Kirchenbann und Königswahlrecht.<sup>1</sup>

### Nr. 13.

a) Sachsenspiegel, Landrecht III 54 § 3.

Zeumer a. a. O. 64.

Lamen man unde miselsuchtigen (aussätzigen) man, noch den, der in des pabeses ban mit rechte<sup>2</sup> komen is, den ne mut men nicht zu künige kiesen. Der künig sol sin vri unde echt geborn, so daz her sin recht behalden habe.

b) Schwabenspiegel 122.

Zeumer a. a. O. 109.

Lamen unde miselsuchtigen man, und der in dem banne ist, und der in der ahte ist, den suln die fursten niut ze kiunige kiesen. Kiesent aber si den, die andern verwerfent in wol mit rehte an der stat, da ein hof hin gesprochen wirt, ob man in dirre dinge eines uberkomet, alse reht ist.

c) Otto IV. an Innocenz III. nach dem 12. Juli 1198.

MG. Const. II 24:

Petimus ergo et cum instantia paternitati vestrae supplicamus . . . ad memoriam revocantes, iniurias etiam

<sup>1</sup> Vgl. E. Eichmann im Histor. Jahrbuch 1910 S. 323 ff.; A. Hauck, Über die Exkommunikation Philipps von Schwaben, in Berichte über die Verhandlungen der kgl. sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften zu Leipzig philol.-histor. Klasse 1904 S. 137 ff.; F. Baethgen, Die Exkommunikation Philipps von Schwaben, MIOG. XXXIV (1913) S. 209 ff.

<sup>2</sup> mit rechte = iudicio; vgl. Eichmann a. a. O. 330 ff.

Philippi ducis Sueviae quondam ducis Tusciae et patris et fratris eius non dissimulantes, nos regiam dignitatem adeptos ad imperii consecrationem vocare dignemini, illos insuper episcopos et abbates ac laicos principes, qui iam dictum Philippum ducem Sueviae in excommunicatione vestra detentum in regem nominare et fidelitatem ei iurare presumpserunt, ab observatione illiciti iuramenti absolvatis et maiestati nostrae obedire ecclesiastica censura compellatis et excommunicationem ipsius ducis Sueviae per Teutonium et universos fines imperii publice denuntiari faciatis.<sup>1</sup>

d) Innocenz III., Denkschrift (Ende 1200) Reg. super neg. Romani Imperii n. 29.

Migne PL. 216., 1027. Huillard-Bréholles I 73.

Fuit enim (Philippus) iuste ac solemniter per praedecessorem nostrum excommunicationis sententia innodatus: iuste, quia b. Petri patrimonium partim per violentiam occuparat, partim damnificarat incendiis et rapinis, et super hoc commonitus semel et iterum per fratres nostros satisfacere non curarat; solemniter, quoniam in celebratione missarum in ecclesia beati Petri in festivitàte non parva, quod ipse postmodum recognovit, cum pro absolutione sua nuntium ad sedem apostolicam destinavit, et cum tandem per delegatos nostros contra formam mandati nostri post electionem suam se fecit absolvi. Unde patet quod fuerit excommunicatus electus.

e) Bulle Venerabilem Innocenz III. März 1202, c. 34 x 1, 6.

MG. Const. II 505.

Numquid enim si principes non solum in discordia, sed etiam in concordia sacrilegum quemcunque vel excommunicatum in regem, tirampnum vel fatuum, hereticum eligerent aut paganum, nos inungere, consecrare ac coronare hominem huiusmodi deberemus? Absit omnino... Sunt enim notoria impedimenta ducis Suevie, scilicet excommunicatio publica, periurium manifestum et persecutio divulgata, quam progenitores eius et ipse presumpserunt in apostolicam sedem et alias ecclesias exercere. Fuit enim

<sup>1</sup> Vgl. dagegen König Philipps Schreiben an Innocenz III. Juni 1206, MG. Const. II 13 (n. 9): Ad haec quod nos putamur a quibusdam aemulis nostris fuisse excommunicationi innodati ab antecessore vestro, numquam verum esse scitote.

a bonae memoriae Celestino Papa predecessore nostro propter invasionem et devastationem patrimonii beati Petri commotione saepe praemissa publice ac solempniter excommunicationis vinculo innodatus, cum in Tuscia moraretur; quod ipse postmodum recognovit, dum per nuntium suum ab ipso predecessore nostro absolutionis beneficium postulavit... Unde patet, quod fuerit excommunicatus electus.

## 6. Ketzergesetze.

### Nr. 14.

a) Gesetz Friedrichs II. vom März 1224 gegen die Ketzer in der Lombardei.

MG. Const. II 126.<sup>1</sup>

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus et rex Sicilie venerabili... Magdeburgensi archiepiscopo, comiti Romaniolo et totius Lombardie legato, dilecto principi suo, gratiam suam et omne bonum.

Cum ad conservandum pariter et fovendum ecclesiastice tranquillitatis statum ex commisso nobis imperii regimine defensores simus a Domino constituti, non absque iusta cordis admiratione perpendimus, quod hostilis invaleat heresis, proh pudor, in partibus Lombardie, que plures inficiat et per ora blasphemantium contra decus ecclesie et catholice fidei documenta ex impunitate sumat audaciam insultandi... Quapropter in exterminium et vindictam auctorum sceleris tam nefandi, complicum et sequacium heretice pravitatis, quocumque nomine censeantur, utriusque iuris auctoritate muniti, dignos motus nostri animi exercentes, presenti edictali constitutione nostra in tota Lombardia inviolabiliter de cetero valitura duximus sancendum: ut quicumque per civitatis antistitem vel diocesis, in qua degit, post condignam examinationem fuerit de heresi manifeste convictus et hereticus iudicatus, per potestatem, consilium et

<sup>1</sup> Vgl. Laterankonzil 1139 c. 23. Friedrichs I. Edikt von Verona 1184 (zitiert in c. 9 x 5, 7); Mandat Ottos IV. vom 25. März 1210, MG. Const. II 43; Friedrichs II. Versprechungen von Eger 1213, MG. Const. II 57: super eradicando autem haereticae pravitatis errore auxilium dabimus et operam efficacem. — Hinschius, Kirchenrecht IV 379 ff.; Eichmann, Acht und Bann S. 32 ff.

catholicos viros civitatis et diocesis earumdem ad requisitionem antistitis illico capiatur, auctoritate nostra ignis iudicio concremandus, ut vel ultricibus flammis pereat aut, si miserabili vite ad coercionem aliorum elegerint reservandum, eum lingue plectro deprivent, quo non est veritus contra ecclesiasticam fidem invehi et nomen Domini blasphemare. Ut autem presens hec edictalis constitutio nostra debeat in hereticorum exterminium firmiter observari, circumspeditioni tue committimus et mandamus, quatenus hanc constitutionem nostram per totam Lombardiam facias publicari, amodo per imperialis banni censuram ab omnibus universaliter observandam.

Datum Cathanie, anno dominice incarnationis MCCXXIII, mense Martii, duodecime indictionis.

b) Sachsenspiegel, Landrecht II 13 § 7.

Zeumer a. a. O. 60.

Swelk cristenman ungeloubich ist, oder mit zoubere umme geit oder mit vorgiftnisse, unde des virwannen wirt, den sol man uph der hurt burnen.

c) Friedrichs II. Ketzergesetz für Deutschland v. März 1232.

MG. Const. II 196.<sup>1</sup>

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex dilectis principibus suis, venerabilibus archiepiscopis, episcopis aliisque prelatibus ecclesiarum, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, scultetis, burgraviis, advocatis, iudicibus, ministerialibus, officialibus et universis per totum imperium constitutis presentes litteras inspecturis, fidelibus suis, gratiam suam et omne bonum.

1. Commissi nobis celitus cura regiminis et imperialis, cui dante Domino presidemus, fastigium dignitatis materialem, quo divisim a sacerdotio fungimur, gladium adversus hostes fidei et in exterminium heretice pravitatis exigunt exerendum, ut vipereos perfidie filios contra Deum et ecclesiam insultantes, tamquam materni uteri corrosores, in iudicio et iustitia persequamur; maleficos vivere non

<sup>1</sup> Wiederholt 14. Mai und 26. Juni 1238, 22. Februar 1239, MG. Const. II 280—285.

passuri, per quorum scientiam seductricem mundus inficitur et gregi fidelium per oves has morbidas gravior infligitur corruptela.

2. Statuimus itaque sanctientes, ut heretici, quocumque nomine censeantur, ubicumque per imperium dampnati fuerint ab ecclesia et seculari iudicio assignati, animadversione debita puniantur. Si qui vero de predictis, postquam fuerint deprehensi, territi metu mortis redire voluerint ad fidei unitatem, iuxta canonicas sanctiones ad agendam penitentiam in perpetuum carcerem retrudantur.

3. Preterea quicumque heretici reperti fuerint in civitatibus, opidis seu locis aliis imperii per inquisitores ab apostolica sede datos et alios orthodoxe fidei zelatores, hii qui iurisdictionem ibidem habuerint ad inquisitorum et aliorum catholicorum virorum insinuationem eos capere teneantur et captos artius custodire, donec per censuram ecclesiasticam condemnatos dampnabili morte perimant, qui fidei et vite sacramenta dampnabant.

4. Simili quoque pena plecti censemus omnes, quos ad fovendum hereticorum errorem callidi hostis astutia suscitavit advocatos vel parat illicitos defensores, maxime cum facinus quos inquinat equet, nisi monitione premissa destiterint et eorum vite duxerint consulendum.

5. Eos preterea qui convicti in uno loco de heresi ad alia loca se transferunt, ut cautius possint effundere virus heretice pravitatis, debitam censemus subire vindictam, ubi super hoc per viros ab eodem errore conversos ad fidem nec non per alios qui eos de heresi convicerunt, quod in hoc casu licite concedimus faciendum, evidens testimonium habeatur.

6. Item mortis sententie duximus addicendos, si quos hereticorum ad iudicium tractos in extremo vite periculo heresim abiurantes postmodum de falso iuramento constiterit et fide mentita convinci, ac eos contigerit eiusdem morbi spontaneam incurrere recidivam; ut sibi dampnabilis iniquitas sit mentita et penam debitam mendacium non evadat.

7. Omne insuper proclamationis ac appellationis beneficium ab hereticis, receptatoribus et fautoribus eorundem penitus amovemus, volentes ut de finibus Alamanie, in quibus semper extitit fida fides, heretice labis genimia modis omnibus deleantur.

8. Ceterum quia quanto maiora divine nutu miserationis accepimus et altiore locum pre filiis hominum optinemus, tanto devotiora debemus obsequia gratitudinis conferenti, si quando igitur in nostri maledicos nominis nostri culminis excandescit auctoritas, si reos lese maiestatis in personis eorum et suorum liberorum exheredatione dampnamus, multo dignius iustiusque contra divini blasphematores nominis et catholice detractores fidei provocamur, eorundem hereticorum, receptatorum, fautorum et advocatorum suorum heredes et posteros usque ad secundam progeniem beneficiis cunctis temporalibus, publicis officiis et honoribus imperiali auctoritate privantes, ut in paterni memoria criminis continuo merore tabescant, vere scientes, quia Deus zelotes est peccata patrum in filios potenter ulciscens. Nec id a misericordie finibus duximus excludendum, ut siqui paterne heresis non sequaces latentem patrum perfidiam revelarint, quacumque reatus illorum animadversione plectatur, predictae privatione non subiaceat innocentia filiorum.

9. Ad hec notum fieri volumus universi, priorem et fratres ordinis Predicatorum de Wirzebure pro fidei negotio in partibus Theotonie contra hereticos deputatos, fideles nostros, ceteros quoque qui ad hereticos iudicandos accesserint et convenerint, nisi eorum aliqui ab imperio sint proscripti, eundo, morando et redeundo sub nostra et imperii speciali defensione receptos, et quod eos apud omnes sub ope ac recommendatione fidelium imperii esse volumus inoffensos; universitati vestre mandantes, quatinus quocumque et apud quemcumque vestrum pervenerint, benigne recipiatis eosdem et personas eorum ab incursu hereticorum eis insidiantium conservantes indempnes, omne consilium, ducatum et auxilium impendatis pro tam acceptis coram Domino negociis exequendis; hereticos vero, quos deprehenderint et ostenderint ipsi vobis, in iurisdictione vestra singuli capientes diligenti custodia detinendos, donec post ecclesiastice dampnationis iudicium penam subeant quam merentur. Scituri, quod in executione ipsius negocii gratum Deo et laudabile coram nobis conferetis obsequium, si ad abolendam de partibus Alamanie novam et insolitam heretice infamiam pravitatis opem et operam una cum eisdem fratribus prestiteritis efficacem. Et si quis foret exinde negligens vel remissus, inutilis coram Domino et in conspectu nostro poterit merito culpabilis apparere.

Dat. Rauenne, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo secundo, mense Marcii, quinte indictionis.

d) Heinrichs VII. Constitutio contra haereticos et sacrilegos vom 29. Juni 1312.

MG. Const. IV 800.

Haec est fides recta, quae contra omnes praemunitur errores, quam divinum apostolum Petrum et Paulum doctorem Gentium novimus tradidisse Romanae Ecclesiae, quae divinae memoriae Constantinus noster inclitus predecessor Romanum munivit et auxit imperium, cunctosque populos nostro subiectos imperio, nostrae ditioni subditos in ista volumus religione versari. Et praesenti imperpetuum lege valitura sanciendo omnes haereticos utriusque sexus, quocumque nomine censeantur, perpetua dampnamus infamia, diffidamus atque bannimus, confirmantes praedecessorum nostrorum constitutiones et penas, quae adversus haereticos, credentes, fautores, defensores et receptatores eorum, sine quibus diucius manere non possent, hactenus sunt statutae. Mandantes insuper cunctis saecularibus potestatibus, ut constitutiones Romanorum pontificum contra praedictos vel in causa fidei editas observent et faciant ab aliis inviolabiliter observari. Sanctam Romanam ecclesiam sicut matrem et ipsius sedis antistitem tanquam Christi vicarium et beati Petri apostoli successorem veneramur et praecipimus a cunctis ex debito venerari.

e) Ruprecht von Freising, Landrechtsbuch c. 200 ed. Maurer S. 217.

Man sol ketzer ruegen mit geistlichem gericht . . . und sol sy prennen auf ainer huerd. und beschirmt sy der richter und richt nit über sy so sol jn der pischoff in den pan tuen. und sein weltlicher richter sol über jn richten als er über den ketzer gericht solt haben. und welicher fürst sy beschirmp und nicht über sy richten wil, den sol geistlichs gericht in den pan tuen. und wil er jn jarsfrist nicht widerkernn so sol sein pischoff der in zue pan than hat dem pabst sein untat künden. so sol in der pabst entsetzen von seinem fürstenamt und von seinen ernn. ditz sol der pabst künden dem künig und andern fürsten. dy sullen des pabst gericht vest machen mit jrmm gericht. sol man jm vrtailen aigen und lehen und alle weltlich ere.

## B. Vorzugsstellung der Kirche.

### 1. Die zwei Himmelslichter; Seele und Leib.

#### Nr. 15.

a) Innocenz III 1201.

c. 6 x 1, 33.

Praeterea nosse debueras, quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento coeli; luminare maius, ut praeeset diei, et luminare minus, ut praeeset nocti; utrumque magnum, sed alterum maius . . . Ad firmamentum igitur coeli, hoc est universalis ecclesiae, fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas magnas instituit dignitates, quae sunt pontificalis auctoritas et regalis potestas. Sed illa, quae praeest diebus, id est spiritualibus, maior est; quae vero carnalibus minor, ut, quanta est inter solem et lunam, tanta inter pontifices et reges differentia cognoscatur.

Vgl. Innocenz III. 30. Okt. 1198, Migne 216., 1186: porro sicut luna lumen suum a sole sortitur, quae re vera minor est illo quantitate simul et qualitate, situ pariter et effectu, sic regalis potestas ab auctoritate pontificali suae sortitur dignitatis splendorem; cuius conspectui quanto magis inhaeret, tanto maiori lumine decoratur et, quo plus ab eius elongatur aspectu, eo plus deficit in splendore.

Vgl. auch Nr. 41 l.

b) Innocenz III., Registr. super neg. imp. n. 18. (1198).

Migne, PL. 216., 1013.

Principibus datur potestas in terris, sacerdotibus autem potestas tribuitur et in coelis. Illis solummodo super corpora, istis etiam super animas. Unde quanto dignior est anima corpore, tanto dignius est etiam sacerdotium quam sit regnum.

. . . Porro, sicut sacerdotium dignitate praecellit, sic et antiquitate praecedit. Utrumque tam regnum quam sacerdotium institutum fuit in populo Dei; sed sacerdotium per ordinationem divinam, regnum autem per extorsionem humanam.

c) S. Thomas, De regimine principum (a. 1266?) I 14.

Huius regni ministerium, ut a terrenis essent spiritualia distincta, non terrenis regibus, sed sacerdotibus est commissum, et praecipue summo sacerdoti successori Petri, Christi Vicario, Romano Pontifici, cui omnes reges populi christiani oportet esse subditos sicut ipsi Domino Iesu Christo. Sic enim ei ad quem finis ultimi cura pertinet, subdi debent illi ad quos pertinet cura antecedentium finium, et eius imperio dirigi.

d) S. Thomas, Sententiarum II dist. 44. qu. 2 art. 3 expositio textus ad 4 (a. 1253—1255).

. . . dicendum, quod potestas spiritualis et saecularis utraque deducitur a potestate divina; et ideo intantum saecularis potestas est sub spirituali, inquantum est ei a Deo supposita, scilicet in his quae ad salutem animae pertinent; et ideo in his magis est obediendum potestati spirituali quam saeculari. In his autem quae ad bonum civile pertinent est magis obediendum potestati saeculari quam spirituali, secundum illud Matthaei XXII 21: reddite quae sunt Caesaris Caesari. Nisi forte potestati spirituali etiam saecularis potestas coniungantur, sicut in papa, qui utriusque potestatis apicem tenet, scilicet spiritualis et saecularis, hoc illo disponente qui est sacerdos et rex, sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech, Rex regum et dominus dominantium, cuius potestas non auferetur et regnum non corrumpetur in saecula saeculorum.

e) Baldus († 1400) Super decretalibus, v. ad haec n. 5.

Sicut imperator dicitur filius Papae, ita iurisdictio temporalis dicitur filia spiritualis et ei tenetur tamquam matri suae.

f) Klemens VI. 6. November 1346, Approbationsakten Karls IV.

MG. Const. VIII 151.

Dico, quod iste status (imperialis) est spatiosè dilatatus. Nullum enim aliud regnum temporale est, quod non paucioribus limitibus coherceatur et quod habeat limites ita magnos; unde secundum legistas principatus eius est super omnem terram, et omnis terra est possessio eius, et ipse est dominus mundi; unde non habet ipse principatum limitatum, sed illimitatum secundum eos. Sed

hodie secundum iura canonica principatus suus etiam limitatus est, sicut apparet Extra de sent. et re iudic. c. pastoralis in Clem. (= c. 2 in Clem. 5, 11). Hoc tamen certum est, quod multo ampliorem quam regnum aliquod temporale habet dilatationem. Ezech. XXXVII: „Rex unus erit omnibus imperans“: omnibus secundum legistas, vel omnibus id est multis. Gen. XXVIII: „Dilataberis ad orientem et occidentem, ad septentrionem et meridiem“ etc.

## 2. Vorrang des kirchlichen Rechts.

Nr. 16.

Rufin, Summa Decretorum (1157–1159) Dist. 10 ed. Singer 26.  
(vgl. Dictum Gratiani vor c. 7 D. 10).

Si ergo leges principum constitutionibus ecclesiasticis in aliquo negotio contrariae sunt, omnino postponendae sunt; at ubi evangelicis et canonicis decretis non obviaverint, omni reverentia dignae habeantur et in ecclesiae adiutorium assumantur.

## 3. Pflichten des Kaisers gegen Kirche und Papst.

Nr. 17.

a) Sicherheitseid.<sup>1</sup>  
Eid Ottos I. 962.

MG. Const. I 21; c. 33 D. 63.

Iuramentum quod facere fecit suos fideles Otto augustus antequam Romam adiret.

Tibi domno Iohanni papae ego rex Otto promittere et iurare facio per Patrem et Filium et Spiritum sanctum et per hoc lignum vivificae crucis et per has reliquias sanctorum: ut, si permittente Deo Romam venero, sanctam Romanam ecclesiam et te, rectorem ipsius, exaltabo secundum meum posse. Et numquam vitam aut membra neque ipsum honorem, quem nunc habes et per me habiturus eris, mea voluntate aut meo consensu aut meo con-

<sup>1</sup> Scheffer-Boichorst, Gesammelte Schriften I 1903 S. 239 ff.

silio aut exortatione perdes. Et in Roma nullum placitum neque ordinationem faciam de omnibus, quae ad te vel ad tuos Romanos pertinent, sine tuo consilio. Et quicquid de terra sancti Petri ad nostram potestatem venerit, tibi reddam. Cuicumque autem regnum Italicum commiserit, iurare tibi faciam illum: ut adiutor tui sit ad defendendam terram sancti Petri secundum suum posse.

Eid Lothars III. 4. Juni 1133.

MG. Const. I 168.

Ego Lotharius rex promitto et iuro tibi domino papae Innocentio tuisque successoribus securitatem vitae et membri et malae captionis, et defendere papatum et honorem tuum, et regalia sancti Petri quae habes manutenere, et quae non habes iuxta meum posse recuperare.

b) Eid bezüglich des Schutzes des päpstlichen Gebietes in Italien.

Eid Friedrichs II. 12. Juli 1213.

MG. Const. II 62.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Fredericus secundus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus et rex Sicilie tibi domino meo sanctissimo et patri carissimo Innocentio papae tertio tuisque successoribus et ecclesie Romane, presentibus subscriptis principibus imperii et nobilibus, spondeo, polliceor, promitto et iuro: quod omnes possessiones, honores et iura Romane ecclesie pro posse meo bona fide protegam et servabo. Possessiones autem, quas ecclesia Romana recuperavit, liberam et quietam sibi dimittam et ipsam ad eas retinendas bona fide iuvabo; quas autem nondum recuperavit, adiutor ero ad recuperandum, et recuperatarum secundum posse meum ero sine fraude defensor. Et quecumque ad manus meas devenient, sine difficultate restituere procurabo. Ad has pertinet tota terra que est a Radicofano usque Ceperanum, exarchatus Rauenne, Pentapolis, marchia Anconitana, ducatus Spoletanus, terra comitissae Matildis, comitatus Brittenorii cum adiacentibus terris expressis in multis privilegiis imperatorum a tempore Lodowici. Has omnes pro posse meo restituam et quiete dimittam cum omni iurisdictione, districtu et honore suo. Veruntamen cum ad recipiendum coronam imperii vel pro necessitatibus ecclesie ab apostolica sede vocatus accessero, de mandato summi pontificis

recipiam procurationem ab eis. Adiutor etiam ero ad retinendum et defendendum ecclesiae Romane regnum Sicilie. Tibi etiam domino meo Innocentio pape et successoribus tuis omnem obedientiam et honorificentiam exhibebo, quam devoti et catholici imperatores consueverunt sedi apostolice exhibere. [Stabo etiam ad consilium et arbitrium tuum de bonis consuetudinibus populo Romano servandis et exhibendis.] Et si propter negotium meum Romanam ecclesiam oportuerit incurrere guerram, subveniam ei, sicut necessitas postulaverit, in expensis. Omnia vero predicta tam iuramento quam scripto firmabo, cum imperii fuero coronam adeptus.

c) Krönungseid; die ältere Form im Ordo Cencius II, Heft I Nr. 39; die neuere Form in Nr. 25 c. Über die Natur dieses Eides vgl. Nr. 33, 39 l.

d) Rechtgläubigkeit. Vgl. Nr. 31. Bulle Venerabilem 1202, s. Nr. 13 e.

Schwabenspiegel (ed. Gengler 101): lamen und miselsüchtigen man, und der in dem banne oder in der achte ist, oder der ein heide oder ein iude oder ein kezzer ist, den suln die fürsten niht kiesen.

Bulle Ad apostolicae dignitatis Nr. 45 a. Scrutinium bei der Kaiserkrönung des Ordo Cencius II, Heft I S. 81. Die Ketzergesetze, insbesondere Nr. 14 d.

e) Obediens und Reverenz (filius Papae, vgl. Nr. 31).

c. 9 D. 96:

Regum et principum patres et magistri sacerdotes censentur.

c. 11 D. 96:

Imperatores debent Pontificibus subesse, non praeesse.

Otto IV., 22. März 1209 an Innocenz III.

MG. Const. II 36.

Proinde vobis, reverentissime pater et domine summe pontifex Innocenti, quos pro multis beneficiis nobis impensis sincerissimo veneramus affectu, vestrisque catholicis successoribus et ecclesiae Romanae omnem obedientiam, honorificentiam et reverentiam semper humili corde ac devoto spiritu impendemus, quam predecessores nostri reges

et imperatores catholici vestris antecessoribus impendisse noscuntur, nihil ex hiis volentes diminui, sed magis augeri, ut nostra devotio clarius enitescat.

f) Officium strepae et stratoris vgl. Nr. 34.

g) Form des schriftlichen Verkehrs s. Nr. 35.

#### 4. Schutz und Förderung der Kirche.

##### 1. Gesetze über die Freiheit der Kirche.

Nr. 18.

a) König Friedrichs II. goldene Bulle von Eger vom 12. Juli 1213.<sup>1</sup>

MG. Const. II 58.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fredericus secundus divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus et rex Syciliae . . . . . Illum igitur abusus volentes abolere, quem interdum quidam predecessorum nostrorum exercuisse dinoscuntur et dicuntur in electionibus prelatorum, concedimus et sanccimus, ut electiones prelatorum libere fiant et canonice, quatenus ille preficiatur aeccliesiae viduatae quem totum capitulum vel maior et sanior pars ipsius duxerit eligendum, dummodo nichil obstet ei de canonicis institutis. Appellationes autem in negotiis et causis aeccliesiasticis ad sedem apostolicam libere fiant, earum prosecutionem sive processum nullus impedire presumat. Illum quoque dimittimus et refutamus abusus, quem in occupandis bonis decedentium prelatorum aut etiam ecclesiarum vacantium nostri consueverunt antecessores committere pro motu propriae voluntatis. Omnia vero spiritualia vobis et aliis ecclesiarum prelatis relinquimus libere disponenda, ut quae sunt cesaris cesari et quae sunt Dei Deo recta distributione reddantur. Super eradicando autem hereticae pravitate errore auxilium dabimus et operam efficacem. Possessiones etiam, quas aeccliesia Romana recuperavit, ab antecessoribus nostris seu quibuslibet aliis ante detentas, liberas et quietas sibi dimittimus, ipsamque ad eas obtinendas bona fide promittimus adjuvare. Quas autem nondum recuperaverit, ad recuperandum pro viribus erimus coadiutores; et quaecumque ad manus nostras devenient, sine difficultate ei

<sup>1</sup> A. Hauck, Kirchengeschichte Deutschlands IV<sup>3-4</sup> 774.

restituere satagemus. Ad has pertinet tota terra quae est a Radicophano usque Zeperanum, marchia Anconitana, ducatus Spoletanus, terra comitissae Mahtildis, comitatus Brittenorii, exarcatus Rauennae, Pentapolis cum aliis adiacentibus terris expressis in multis privilegiis imperatorum et regum a tempore Ludowici, ut eas habeat Romana aeclesia in perpetuum, cum omni iurisdictione, districtu et honore suo. Veruntamen cum ad recipiendam coronam imperii vel pro necessitatibus aeclesiae ab apostolica sede vocati venerimus, de mandato summi pontificis recipiemus procuraciones sive fodrum ab illis. Adiutores etiam erimus ad retinendum et defendendum Romanae aeclesiae regnum Syciliae et cetera iura, quae ad ipam pertinere dinoscuntur, tamquam devotus filius et catholicus princeps. Ut autem haec omnia vobis memorato sanctissimo patri nostro domino Innocentio sacrosanctae Romanae aeclesiae summo pontifici vestrisque successoribus per nos et nostros successores Romanorum reges et imperatores observentur firmaque et inconvulsa semper permaneant, presens privilegium conscriptum maiestatis nostrae aurea bulla iussimus communiri.

b) Privileg Friedrichs II. zugunsten der geistlichen Fürsten vom 26. April 1220.<sup>1</sup>

MG. Const. II 89.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus et rex Sicilie. Digna recolentes animadversione, quanta efficacit et fide dilecti fideles nostri principes ecclesiastici nobis hactenus astiterint, ad culmen imperii nos promovendo, promotos in ipso firmando et demum filium nostrum Heinricum in regem sibi et dominum benivole atque concorditer eligendo, censuimus eos, per quos promoti sumus, semper promovendos, et per quos firmati sumus, una cum ipsorum ecclesiis semper fore nostra defensione contra noxia queque firmandos. Igitur quia in eorum gravamina quedam consuetudines, et ut verius dicamus abusiones, ex longa perturbatione imperii, que per gratiam Dei nunc quievit et quiescet,

<sup>1</sup> L. Weiland, Friedrichs II. Privileg für die geistlichen Fürsten. Historische Aufsätze, dem Andenken von G. Waitz gewidmet. 1886. Eichmann, Acht und Bann 122 ff.

inoleverant in novis theloneis et monetis, que se invicem ex similitudinibus ymaginum destruere consueverant, in guerris advocatorum et aliis malis, quorum non est numerus, statutis quibusdam eisdem abusionibus obviavimus.

1. Primo promittentes, quod numquam deinceps in morte cuiusquam principis ecclesiastici reliquias suas fisco vendicabimus; inhibentes etiam, ne laicus quisquam aliquo pretextu sibi eas vendicet, sed cedant successori, si antecessor intestatus decesserit; cuius testamentum, si quod inde fecit, volumus esse ratum. Si quis vero contra hanc constitutionem reliquias sibi vendicare presumpserit, proscriptus et exlex habeatur et feodo sive beneficio, si quod habet, permaneat destitutus. (Vgl. Nr. 23.)

2. Item nova thelonea et novas monetas in ipsorum territoriis sive iurisdictionibus eis inconsultis seu nolentibus non statuemus de cetero, sed antiqua thelonea et iura monetarum, eorum ecclesiis concessa, inconvulsa et firma conservabimus et tuebimur, nec ipsi ea infringemus nec ab aliis ledi permittemus modis aliquibus, utpote monete turbari et vilificari solent similitudinibus ymaginum, quod penitus prohibemus.

3. Item homines quocumque genere servitutis ipsis attinentes, quacumque causa se ab eorum obsequiis alienaverint, in nostris civitatibus non recipiemus in eorum preiudicium. Et idem ab ipsis inter se eis que a laicis omnibus universaliter volumus observari.

4. Item statuimus, ne quis ecclesiam aliquam in bonis suis dampnificet occasione advocati eorundem bonorum; sed si dampnificaverit, dampnum in duplo restituet et centum marcas argenti camere nostre solvet.

5. Item si aliquis eorum vassallum suum, qui forte eum offendit, iure feudali convenerit et sic feodum evicerit, illud suis usibus tuebimur. Et si ipse feodum de bona et liberali sua voluntate nobis conferre voluerit, recipiemus, amore vel odio non obstante. Quocumque autem modo, sive etiam ex morte infeodati, principi ecclesiastico feodum aliquod vacare contigerit, illud auctoritate propria, immo violentia nullatenus invademus, nisi de bona voluntate liberalique concessione sua potuerimus obtinere, sed cum effectu suis usibus studebimus defensare.

6. Item, sicut iustum est, excommunicatos eorum, dum tamen ab ipsis viva voce vel per litteras eorum vel per honestos nuntios fide dignos nobis denunciati fuerint,

vitabimus; et nisi prius absolvantur, non concedemus eis personam standi iudicio, sic distinguentes, quod excommunicatione non eximat eos a respondendo impetentibus, sed sine advocatis; perimat autem in eis ius et potestatem ferendi sententias et testimonia et alios impetendi.<sup>1</sup> (Vgl. Nr. 12.)

7. Et quia gladius materialis constitutus est in subsidium gladii spiritualis, excommunicationem, si excommunicatos in ea ultra sex septimanas perstitisse predictorum modorum aliquo nobis constiterit, nostra proscriptio subsequatur, non revocanda, nisi prius excommunicatio revocetur. (Vgl. Nr. 11.)

8. Sic utique aliisque modis omnibus, iusto videlicet et efficaci iudicio, ipsis prodesse atque preesse firmiter compromissimus, et ipsi versa vice fide data promiserunt, quod contra omnem hominem, qui tali nostro iudicio ipsis exhibendo violenter resisterit, nobis pro viribus suis efficaciter assistent.

9. Item constituimus, ut nulla edificia, castra videlicet seu civitates, in fundis ecclesiarum, vel occasione advocatie vel alio quoquam pretexto, construantur. Et si qua forte sunt constructa contra voluntatem eorum, quibus fundi attinent, diruantur regia potestate.

10. Item inhibemus ad imitationem avi nostri, felicitis memorie imperatoris Friderici, ne quis officialium nostrorum in civitatibus eorundem principum iurisdictionem aliquam sive in theloneis sive in monetis seu aliis officiis quibuscumque sibi vendicat, nisi per octo dies ante curiam nostram ibidem publice indictam et per octo dies post eam finitam. Nec etiam per eosdem dies in aliquo excedere presumant iurisdictionem principis et consuetudines civitatis. Quotiescumque autem ad aliquam civitatum eorum accesserimus sine nomine publice curie, nichil in ea iuris habeant, sed princeps et dominus eius plena in ea gaudeat potestate.

11. Sane quanto fidem ampliore predictorum principum circa nos intelleximus, tanto excellentius eorum profectibus semper intendemus prospicere. Et quoniam acta hominum oblivio inimica memorie per longam temporum evolutionem sepelire solet, diligentia vigilantiori adhibita, hec nostre gratie beneficia ecclesiis impensa perpetuari volumus. Statuentes, ut heredes nostri et

<sup>1</sup> c 7 x 2, 1.

successores in imperio ea rata conservent et exequantur et faciant in subsidium ecclesiarum a laicis universaliter observari.

Et ut futuris innotescant et a presentium non excidant memoria sive notitia, ea fecimus huic pagine annotari et paginam subnotatione nominum eorum qui interfuerunt, principum videlicet, et sigilli nostri munimine insigniri.

Testes hii sunt: Sifridus Maguntinus archiepiscopus, Theodericus Treverensis archiepiscopus, Engelbertus Coloniensis archiepiscopus, Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Hugo Leodiensis episcopus, Otto Traiectensis episcopus, Ecbertus Babenbergensis episcopus, Conradus Ratisbonensis episcopus, Hertwicus Egestedensis episcopus, Theodericus Monasteriensis episcopus, Heinricus Wormatiensis episcopus, Engelhardus Nuwemburgensis episcopus, Heinricus Basiliensis episcopus, et alii quam plures.

Signum domini Friderici secundi Romanorum regis invictissimi et regis Sicilie.

Ego Conradus Metensis et Spirensis episcopus imperialis aule cancellarius vice domini Sifridi Maguntine sedis archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCCXX, indictione IX, regnante domino Friderico secundo Romanorum rege et Sicilie gloriosissimo; anno regni eius in Germania VIII, in Sicilia vero XXIII.

Datum apud Frankenvuurt, VI. Kalend. Maii.

Das Privileg wurde erneuert durch Rudolf I. am 13. März 1275.

MG. Const. III 70.

c) Gesetz Friedrichs II. vom 24. Sept. 1220.

MG. Const. II 100.

Fredericus Dei gratia Romanorum rex semper augustus et rex Sicilie potestatibus, consulibus ac communitatibus universarum civitatum et castrorum Italie.

Cum dive memorie imperatores Romani sacrosanc-tam ecclesiam multiplici libertate dotarint, nos disponente Deo, a quo est omnis potestas, ad fastigium culminis imperialis electi, que pie ab illis et a sanctissimis apostolice sedis presulibus pro statu ecclesiarum et ecclesiasticorum virorum sunt edita conservare volumus inconcussa

et illis contraria, sicut ad nos spectare dignoscitur, amputare. Cum igitur ad aures celsitudinis nostrae pervenerit, nonnullos vestrum cupidine ceca seductos quedam de testanda edidisse statuta preiudicantia ecclesiastice libertati ac divino et humano iuri obviantia manifeste, nos ea tanquam de radice pravitate heretice prodeuntia presentium auctoritate cassamus, sub pena mille marcarum districtius inhibentes, ne qui vestrum illis de cetero inherere presumant aut eorum pretexto ecclesias et ecclesiasticos viros contra sanctiones canonicas et legitimas molestare, quin immo ea de vestris capitularibus seu breviariis tanquam iusto iudicio condempnata penitus abolentes, ecclesias et personas ecclesiasticas permittatis indulta sibi libertate gaudere, si vultis penam effugere prenotatam et indignationem regiam evitare.

Datum in castris apud Sanctum Leonem anno Domini millesimo CCXX, indict. VIII, oct. Kal. Octub.

d) Krönungsgesetz Kaiser Friedrichs II. vom 22. November 1220.

MG. Const. II 107.

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus ducibus, marchionibus, comitibus cunctisque populis, quos clementie nostre regit imperium, salutem et gratiam.

In die, qua de manu sacratissimi patris nostri summi pontificis recepimus imperii diadema, curavimus ad Dei et ecclesie sue honorem edere quasdam leges, quas presenti pagine iussimus annotari per totum nostrum imperium publicandas, per imperialia vobis scripta precipiendo mandantes, quatinus eas quisque in suo districtu irrefragabiliter et inconcusse servetis. Sunt autem hee leges:

1. Ad decus et decorem imperii et ad laudem Romani principis nichil magis videtur accedere, quam ut, expurgatis quorundam erroribus et iniquis quorundam statutis penitus destitutis, de cetero ecclesia Dei plena quiete vigeat et secunda gaudeat libertate. Sane adeo infidelium quorundam et perversorum iniquitas habundavit, ut non dubitent contra apostolicam disciplinam et sacros canones sua statuta confingere adversus ecclesiasticas personas et ecclesie libertatem. Cum ergo ecclesia, que nichil debet preter bonum appetere, dispositione divina faciente nichil

velit quod nobis eodem concursu voluntatum non placeat, nos Fridericus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus hac edictali lege irritamus et precipimus irrita nuntiari omnia statuta et consuetudines, que civitates vel loca, potestates, consules vel quecumque alie persone contra libertates ecclesie ac personas ecclesiasticas edere vel servare temptarunt adversus canonicas vel imperiales sanctiones, et ea de capitularibus suis mandamus infra duos menses post huiusmodi publicationem edicti penitus aboleri; et si de cetero similia attemptaverint, ipso iure decernimus esse nulla et eos sua iurisdictione privatos, necnon locum ubi deinceps talia presumpta fuerint banno mille marcarum precepimus subiacere. Potestates vero, consules, rectores, statutarii et scriptores dictorum statutorum necnon consilarii locorum ipsorum et qui secundum statuta vel consuetudines memoratas iudicaverint sint extunc ipso iure infames; quorum sententias et actus alias legitimos statuimus aliquatenus non tenere. Qui si per annum huius nostre constitutionis inventi fuerint contemptores, bona eorum per totum nostrum imperium mandamus impune ab omnibus occupari, salvis nichilominus aliis penis contra tales in generali concilio promulgatis.

2. Item nulla communitas vel persona, publica vel privata, collectas sive exactiones, angarias vel parangarias ecclesiis aliisque piis locis aut ecclesiasticis personis imponant aut invadere ecclesiastica bona presumant; quod si fecerint et requisiti ab ecclesia vel imperio emendare contempserint, triplum refundant, et nichilominus banno imperiali subiaceant, quod absque satisfactione debita nullatenus remittatur.

3. Item quecumque communitas vel persona per annum in excommunicatione propter libertatem ecclesie facta perstiterit, ipso iure imperiali banno subiaceat, a quo nullatenus extrahatur, nisi prius ab ecclesia beneficio absolutiois obtento.

4. Statuimus autem, ut nullus ecclesiasticam personam in criminali questione vel civili trahere ad iudicium seculare presumat contra constitutiones imperiales et canonicas sanctiones. Quod si fecerit, actor a iure suo cadat, iudicatum non teneat, et iudex sit ex tunc iudicandi potestate privatus.

5. Saneimus etiam, ut si qui clericis vel personis ecclesiasticis iusticiam denegare presumpserint, tertio requisiti suam iurisdictionem amittant.

6. Chataros, Patarenos, Leonistas, Speronistas, Arnaldistas, Circumcisos et omnes hereticos utriusque sexus, quocumque nomine censeantur, perpetua dampnamus infamia, diffidamus atque bannimus, censentes ut bona talium confiscentur nec ad eos ulterius revertantur, ita quod filii ad successionem eorum pervenire non possint, cum longe sit gravius eternam quam temporalem offendere maiestatem. Qui autem inventi fuerint sola suspensione notabiles, nisi ad mandatum ecclesie iuxta considerationem suspicionis qualitatemque persone propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint, tamquam infames et banniti ab omnibus habeantur, ita quod si sic per annum permanerint, ex tunc eos sicut hereticos condemnamus.

7. Statuimus etiam hoc edicto in perpetuum valituro, ut potestates vel consules seu rectores, quibuscumque fungantur officiis, pro defensione fidei prestant publice iuramentum, quod de terris sue iurisdictioni subiectis universos hereticos ab ecclesia denotatos bona fide pro viribus exterminare studebunt, ita quod amodo quocumque quis fuerit in potestatem sive perpetuam vel temporalem assumptus, hoc teneatur capitulum iuramento firmare. Alioquin neque pro potestatibus neque pro consulibus habeantur, eorumque sententias decernimus extunc irritas et inanes. Si vero dominus temporalis requisitus et amonitus ab ecclesia terram suam purgare neglexerit ab heretica pravitare, post annum a tempore monitionis elapsam terram ipsius exponimus catholicis occupandam; qui eam exterminatis hereticis absque ulla contradictione possideant et in fidei puritate conservent, salvo iure domini principalis, dum modo super hoc nullum prestat obstaculum nec aliquid impedimentum opponat; eadem nichilominus lege servata contra eos qui non habent dominos principales. Credentes preterea, receptatores, defensores et fautores hereticorum bannimus, firmiter statuantes, ut si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, satisfacere contempserit infra annum, extunc ipso iure sit factus infamis nec ad publica officia seu consilia vel ad eligendos aliquos ad huiusmodi nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, ut nec testamenti liberam habeat factionem nec ad hereditatis successionem accedat.

Nullus preterea ei super quocumque negotio, set ipse alii respondere cogatur. Quod si forte iudex exstiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec cause alique ad eius audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur; si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti.<sup>1</sup>

8. Navigia quocumque locorum perveniant, si quo casu contingente rupta fuerint vel alias ad terram perveniant, tam navigia ipsa quam navigantium bona illis integre reserventur ad quos spectabant, antequam navigium huiusmodi periculum incurrisset, sublata penitus omni consuetudine locorum que huic adversatur sanctioni; nisi talia sint navigia que piraticam exerceant aut sint nobis vel Christiano nomini inimica. Transgressores autem huius nostre constitutionis bonorum publicatione mulcentur, et si res exegerit, eorum audacia iuxta mandatum nostrum modis aliis compescatur.

9. Omnes peregrini et advene libere hospitentur ubi voluerint; et hospitati, si testari voluerint, de rebus suis ordinandi liberam habeant facultatem; quorum ordinatio inconcussa servetur. Si vero intestati decesserint, ad hospitem nihil perveniat, set bona ipsorum per manus episcopi loci tradantur si fieri potest heredibus, vel in pias causas erogentur. Hospes vero si aliquid de bonis talium contra hanc nostram constitutionem habuerit, triplum episcopi restituat, quibus visum fuerit assignandum. Non obstante statuto aliquo aut consuetudine seu etiam privilegio, que hactenus contrarium inducebant. Si qui autem contra presumpserint, eis de rebus suis testandi interdicimus facultatem, ut in eo puniantur in quo deliquerunt, alias prout culpe qualitas exegerit puniendi.

10. Agricultores et circa rem rusticam occupati dum villis insident, dum agros colunt, securi sint quacumque parte terrarum, ita ut nullus inveniatur tam audax, ut personam, boves, agrorum instrumenta, aut si quid aliud sit quod ad operam rusticanam pertineat, invadere, capere aut violenter auferre presumat. Si quis autem statutum huiusmodi ausu temerario violare presumpserit, in quadruplum oblata restituat et infamie notam ipso iure incurrat, imperiali animadversione nichilominus puniendus.

<sup>1</sup> Vgl. c. 13 x 5, 7 = c. 3 Lateran. IV. 1215.

e) Friedrichs II. Mainzer Reichslandfriede 1235, art. 24.

Deutsche Fassung.  
Zeumer a. a. O. 71.

Wir setzen und gebieten vesteclichen, daz man in steten und in dorfern in allem unserem riche an geistlichen dingen behalte der erzebischofe und der bischof oder der erzpriester geistlich reht, und in das niemen wider si mit deheinem unreht.

Lateinische Fassung art. 1.

MG. Const. II 241.

Libertates ecclesiarum et iura tanto liberalius nostra debet fovere clemencia, quanto devocius nobis ab eisdem et earum rectoribus in spiritualibus et temporalibus servitium exhibetur. Statuimus igitur firmiter et districte precipimus, ut in civitatibus, opidis, villis et omnibus locis sacri nostri imperii episcoporum et archidiaconorum iurisdictioni nullus iniuste resistat, set eorum ordinationes et iuste sentencie in causis ecclesiasticis observentur.

f) Karls IV. Gesetz vom 13. Oktober 1359 über die Kirchenfreiheit (sog. Carolina).

Lünig, Reichsarchiv II 3—5.

Etsi Imperialis benignitatis clementia quorumlibet devotorum fidelium, quos sacrum Romanum ambit Imperium, ex officii debito teneatur necessitatibus et iniustis oppressionibus consulere, et de opportunis remediis providere: ad illos tamen per maxime dirigitur nostrae mentis affectio, quos indebite pati cognoscimus, quorumque oppressionibus status Ecclesiasticae libertatis, quam semper nostris temporibus augeri volumus non nihilum minuitur, et minus debito praegravatur. Sane ad imperialis Maiestatis audientiam . . . per insinuationem quaerulosam suppliciter est deductum, quod saeculares quidam in potestatibus et officiis publicis constituti, videlicet Duces, Comites et Barones et alii Domini temporales, necnon consules civitatum, oppidorum, villarum et locorum Rectores, dictorum Magdeburgensis, Moguntinensis et Coloniensis Provinciarum, Dei nomine postposito, statuta singularia et iniquas ordinationes, motu proprio et de facto, contra personas Ecclesiasticas, Ecclesiarum et locorum religiosorum libertates et privilegia condiderunt, eisdem publice et de facto insistere praesumpserunt, contra legitimas civiles et canonicas

sanctiones: ut puta, quod nulla bona temporalia in potestatem Ecclesiasticam transferuntur; neve clerici in sacris constituti ad agendum et testificandum in civilibus et maxime in piis causis, aliquatenus admittantur; quod excommunicati laici et publice denunciati in civili foro minime repellantur.<sup>1</sup> Item praefati Domini temporales, Consules et Rectores per saecularem potestatem res et bona clericorum occupant et arrestant. Oblationes fidelium diminuunt et restringunt; exactiones et tallias indebite de bonis Ecclesiae et redditibus exigunt et extorquent; possessiones Ecclesiarum et personarum earundem devastant incendiis et rapinis; contractus inter clericos et laicos factos legitime ad libros civitatum, villarum et locorum recusant inscribere et sigillare; donata et legata ad fabricas et Ecclesiarum structuras contra Praelatorum voluntatem et aliorum, quorum interest, praesumunt usurpare contra iustitiam. In fraudem et odium clericorum de rebus et bonis etiam clericorum, quas non causa negotiationis, sed pro usibus propriis, per terras ducunt seu duci faciunt, thelonium exigunt et recipere non verentur; et confugientes ad Ecclesias et cimiteria inde extrahere contra sanctiones Imperiales praesumunt. Quae omnia et quaelibet abinde secuta, cum per sacras et civiles et canonicas sanctiones expresse reprobata sint et in fraudem ecclesiasticae libertatis de facto praesumpta, de Principum, Ducum, Comitum, Baronum, fideliumque nostrorum consilio, ex certa scientia, auctoritate imperiali cassamus, irritamus et annullamus, cassaque et irrita et nullius esse momenti penitus deducimus et expresse pronuntiamus, praecipientes sub indignatione imperialis banni, universis et singulis dictorum Magdeburgensis, Moguntinensis et Coloniensis Provinciarum et locorum vicinorum principibus et dominis temporalibus, Consulibus et Potestatibus et in officiis publicis constitutis, quatinus mox visis et intellectis praesentibus, dicta ipsorum, statuta et ordinationes, sicut in praeiudicium ecclesiasticae libertatis edita sunt, omnino revocent et de luce tollant, quodque secundum ea non iudicent amplius, nec sententias dicent, aut eisdem in iudicio vel extra iudicium quomodolibet pro se et contra ecclesiasticam libertatem potiantur. Item pronuntiamus et declaramus imperiali auctoritate, quod quicumque laicus, cuiuscunque

<sup>1</sup> Vgl. Nr. 12.

status vel conditionis existat, ausu sacrilego et propriae temeritatis audacia sacerdotem vel clericum saecularem vel religiosum diffidaverit vel captaverit, proscripserit, spoliaverit, occiderit, mutilaverit aut in carcere detinuerit, aut huiusmodi maleficia perpetrantes scienter receptaverit, vel favorem in hiis eis praestiterit, praeter poenas a sacris imperialibus et canonicis sanctionibus eis inflictas, sint ipso facto infames et omni honore privati, nec ad placita vel concilia nobilium admittendi quovis modo. Volumus etiam, hortamur et requirimus ipsos praelatos ecclesiasticos, ut hanc nostram legem et constitutionem in Synodis et ecclesiis publicari procurent, et requisiti executionem poenarum et sententiarum denuncient, ne in praemissis excedentes per simulatam ignorantiam suas malicias valeant excusare. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc nostrae cassationis et immutationis seu pronuntiationis, denunciacionis et declarationis paginam quovis ausu temerario infringere, aut quomodolibet ei contraire sub pena quinquaginta marcarum puri auri, quas ab eo, qui contrafecerit, totiens quotiens factum fuerit, irremissibiliter exigi volumus et earum medietatem nostri Imperialis aerarii sive fisci, residuam vero partem iniuriam passorum usibus decernimus applicari.

2. *Ausstattung der Kirchen. Reichskirchen. Bischöfe als Vasallen des Reiches. Reichsfürstenstand der Bischöfe.*<sup>1</sup>

Nr. 19.

a) Kaiser Heinrich II. verleiht dem Stift des hl. Florin zu Coblenz das Marktrecht zu Gillenfeld mit Zoll und Münze. 1016.

MG. Dipl. III 450.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Henricus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Imperiali culmine nos misericordia dei ad hoc sublimari permisit, ut subsectorum nobis populorum curam maximeque sacerdotum Christi et congregationum aecclesiasticarum competenti dispensatione ordinemus, quorum orationibus temporali et aeternali beatitudine credimus cumulari.<sup>2</sup>

<sup>1</sup> A. Werminghoff, Verfassungsgeschichte der deutschen Kirche im MA. § 24–27.

<sup>2</sup> Vgl. das sog. „Privileg“ Papst Paschalis II. an Heinrich V. 1111, MG. Const. I 144, Predecessores enim vestri ecclesias regni sui tantis

Proinde cunctorum Christi fidelium pateat industriae, qualiter nos pro remedio animae nostrae seu regni statu atque contectalis nostrae Cunigundae videlicet imperatricis augustae interventu monasterio in honore sancti Florini dedicato quoddam mercatum a nobis per mathones nostros venditos caeptum et perfectum in villa Gilliuelt dicta in comitatu Bertholdi comitis in pago Meineueldensi situm, theloneum et monetam cum omnibus utensilibus per negotiale commertium ad nostras quoque manus imperiales iuste ac iuridicialiter pertinentibus per hanc nostram imperialem paginam in proprium concedimus. Et ut haec nostrae traditionis seu confirmationis auctoritas stabilis et inconvulsa omni habeatur tempore, hoc preceptum inde conscriptum manu propria corroborantes atque confirmantes et sigillo nostro insigniri iussimus.

Signum domni Henrici Romanorum imperatoris augusti.

Guntherius cancellarius vice Erchanbaldi archicapelani notavit.

Anno dominicae incarnationis millesimo XV, indictione XIII, anno vero domni Henrici secundi regnantis XIII, imperii vero III; actum Franconeforde.

b) Verleihung der Immunität an die bischöfliche Kirche von Bamberg durch Konrad II. und Heinrich III. 1034.

MG. Dipl. II 279 ff., 281.

. . Nullus ibi comes aut iudex legem facere presumat, nisi quem per concessionem nostram vel successorum nostrorum regum scilicet et imperatorum episcopus eiusdem loci deliberet. Sit ille episcopatus liber et ab omni extranea et iniqua securus potestate, quatinus ibidem deo famulantes et primi constructoris memoriam digne celebrare nosque fautores et corroboratores possint et velint deo precibus suis commendare.

regalium suorum beneficiis ampliarunt, ut regnum ipsum episcoporum maxime vel abbatum presidiiis oporteat communiri. — Privileg Paschalis II. vom 12. Februar 1111, MG. Const. I 140: In regni autem vestri partibus episcopi vel abbates adeo curis secularibus occupantur, ut comitatum assidue frequentare et militiam exercere cogantur. Que nimirum aut vix aut nullomodo sine rapinis, sacrilegiis, incendiis aut homicidiis exhibentur. Ministri enim altaris ministri curie factae sunt, quia civitates, ducatus, marchias, monetas, curtes et cetera ad regni servitium pertinentia a regibus acceperunt.

c) Verleihung der Gerichtsbarkeit, des Marktrechts und aller anderen königlichen und herzoglichen Gerechtsame zu Amberg an die bischöfliche Kirche zu Bamberg durch Konrad II. 1034.

MG. Dipl. IV 282.

. . . Noverit . . . universitas, qualiter nos . . . in villa quae dicitur Ammenberg sita in pago Northogoe in comitatu comitis Ottonis et in omnibus appendiciis eius districtum mercatum theloneum naulum molas molendinas aquas aquarumque decursus piscationes venationes, et quicquid ad nostrum ius ducisque pertinet, eidem sanctae dei Babenbergensi ecclesiae de nostro iure in proprium ius donamus, ea ratione ut idem dilectus noster Eberhardus eiusque in perpetuum successores liberam potestatem habeant leges facere et omnibus modis in eodem loco utilitates suas augere.

d) Friedrich I. verleiht dem Bischofe von Brixen Zollrecht, Gerichtsban, Mühl-, Markt- und Münzrecht. 16. Sept. 1179.

E. v. Schwind und A. Dopsch, Ausgewählte Urkunden zur Verfassungsgeschichte der deutsch-österreichischen Erblande im Mittelalter. 1895. S. 13 ff.

. . . Noverit igitur imperii nostri fidelium presens aetas et futura, quod nos pro petitione dilecti nostri Heinrichi Brixinensis ecclesiae venerabilis episcopi contradidimus ecclesiae et civitati Brixinensi licentiam et potestatem habendi theloneum pedagium et quelibet alia iura, quae ad bonum sui statum et gloriam reliquae civitates consueverunt ab imperiali gratia postulare et tenere: scilicet iudiciorum civilium et dominicalis banni honorem, usus molendinorum et habendi fori facultatem loco et tempore civitati congruo. Preterea iam dicto fidei nostro Brixinensi episcopo contulimus ius et usum et potestatem constituende monete sive voluerit in civitate sive extra ipsam, ubi prudentum suorum consilio magis oportunitate videbitur ad profectum et bonum usum civitatis et adiacentis provinciae et ipsius episcopi et suorum successorum utilitatem. Hec itaque episcopo et ecclesiae ac civitati Brixinensi concedimus damus et in perpetuum nostrae auctoritatis vigore confirmamus.

e) Rudolf I. bestätigt dem Erzbischof von Salzburg die unbeschränkte Gerichtsherrlichkeit, 4. Juli 1278.

MG. Const. III 190.

. . . Ex concessione tuorum regalium, quibus te nostra serenitas iam dudum apud Hagnoviam investivit, plenam

et liberam potestatem in tuis districtibus et territoriis iudicandi more maiorum nostrorum principum in causis civilibus et criminalibus accepisti. Cum enim unum te esse ex sublimibus principibus Romani imperii cognoscamus, dubitari a nemine volumus, quin merum imperium tuo principatui sit annexum, per quod habes ius animadvertendi in facinorosos homines et gladii potestatem, per alium tamen, prout ordini et honori tuo congruit, exhercendam. Ceterum cum iuxta legitimis sanctiones delictum omnem emunitatem auferat et privilegium omne tollat, volumus et mandamus, quatinus omni privilegio, nobilitate seu etiam dignitate cessantibus iusto et communi iudicio iudices et iudicari facias pro qualitate criminum criminosos tam in facultatibus quam personis.

f) Bedrückungen der Reichskirchen durch die Vögte. Reichsgerichtsspruch vom 23. Juni 1170.

MG. Const. I 329.

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator augustus. Imperatorie maiestatis est officium, negotiis imperii iuxta legum instituta et canonum decreta pacem et iustitiam providere, et precipue ecclesie Dei, cuius precibus et oratione promoveri speramus et in Domino confidentius regnare. Eapropter notum facimus universis imperii nostri fidelibus tam futuris quam presentibus, quod dilectus ac fidelis noster imperii princeps Hugo venerabilis ecclesie Verdensis episcopus ad curiam nostram veniens sententiam requisivit, utrum cuiquam advocato liceat aliquid ius posse vel debere exercere in dotem alicuius ecclesie vel clerici in ea manentis vel in rebus suis, vivi seu morientis. Habita itaque super huius questione diligenti principum deliberatione, in presentia ipsorum a marchione Ottone de Misna super huius rei negotio iudicium requisivimus. Ipse igitur, habito universorum principum et nobilium atque aliorum sapientum consilio, generalem in generali curia sententiam protulit: nullum prorsus advocatum aliquod ius habere in dotem alicuius ecclesie nec in rebus clerici in ea manentis, nec in vita nec in morte. Cui omnes applauserunt et unanimi acclamatione rationabilem assensum prebuerunt. Quocirca eidem sententie auctoritatis nostre maiestatem clementer applicantes statuimus et firmiter sancimus, ne aliquis persona humilis vel magna vel ecclesiastica seu secularis audeat obviare huic

iudicio tam sollempniter et rationabiliter celebrato. Unde et presentem paginam conscribi iussimus et maiestatis nostre sigillo corroborari. Quicumque ergo eam infregerit vel saltem infringere temptaverit, maiestatis nostre reus et a gratia nostra proscriptus erit, rebus et persona publicatis. Ipse vero episcopus ecclesiastico iure poterit et debet anathematis gladio eos ferire. Quod ratum habebimus et usque ad condignam satisfactionem inconvulsum.

Datum Herbsfordie, anno dominicæ incarnationis 1170, indict. 3, 9. Kal. Iulii.

Vgl. auch Nr. 18b, 4.

g) Belehnung der Bischöfe.

Schwabenspiegel, Lehenrecht 41.

Zeumer a. a. O. 120.

Bischove guot unde vanlehen sol der kiunig ganzes lihen.

Alle bischove enphahent von dem kiunige miunzzen und zoelle, unde etliche enphahent vanlehen und etliche weltliche gerihte. Swaz des gerihtes ist, daz uber bluotriunse gat und uber den totslag, swem daz der bischof lihet, den sol er senden mit sinem brieve an den kiunig, daz er im den ban lihe. Swer uber menschenbluot rihtet, und den ban von dem kiunige niut enphangen hat, dem sol der kiunig die zungen uz heizzen sniden, oder er sol si loesen nach dez kiuniges genaden. Unde verseit der kiunig einest dem bischove, oder so er sinen brief sendet, daz er den ban dem rihter niut lihet, so rihtet der rihter ein jar mit rehte ane den ban, also ob der bischof sin reht von dem kiunige enphangen hat.

Sachsenspiegel I 3.

Zeumer a. a. O. 59.

Zu der selven wis sint die hereschilde uzgelegit; den der koning den ersten hat; die bischopphe unde die abbate und ebbedischen den andern; die leyn vorsten den dritten, sint sie der bischopphe man worden sint; die vrien herren den vierden; die schepenbare lude unde der vrier herren man den funften; ire man vord den sestem. Alse diu cristenheit in der sevenden werlt nichene steticheit ne weiz, wie lange sin stan solle, also ne weiz men ouch an den sevenden schilde, ob her lenrecht oder herschilt haben moege. Die leynvorsten habint aber den sestem schild in den sevenden gebracht, sint sie worden der bischopphe man.

h) Lehenseid der Bischöfe.

MG. Const. III 57.

Post recognita, tradita et concessa et iterum innovata per regalem vestram munificenciam nobis et nostris ecclesiis illa iura, que a Romano imperio, vestris predecessoribus et a vobis pacifice possidemus, racionis debito credimus convenire, ut et nos vobis et predicto imperio liberaliter impendamus debiti famulatus honores. Nos itaque sub presencium testimonio et religione iurisiurandi promittimus et iuramus, quod in omnibus et singulis, ad que prestiti vobis racione homagii aut ex debito vasallatus Romano tenemur imperio atque vobis, in omni devocione fideles perpetuo persistemus, utilitatibus vestris et imperii intendere volumus et dispendia, in quantum nobis possibile fuerit, omni loco et tempore precavere.

i) Lehenseid des Erzbischofs von Arles. 1312.

MG. Const. IV. 829.

In nomine Domini amen.

Anno nativitatis eiusdem millesimo tricentesimo duodecimo, indic. decima, quinta die mensis Iulii. Per hoc presens publicum instrumentum cunctis appareat presentibus et futuris, quod in presentia serenissimi principis ac domini Henrici divina favente clemencia Romanorum imperatoris, mei notarii infrascripti et testium subscriptorum propter hoc specialiter rogatorum et vocatorum personaliter constitutus venerabilis in Christo pater ac dominus Galliardus Dei gratia Arelatensis archiepiscopus, iam dictus archiepiscopus homagium seu fidelitatem fecit domino imperatori predicto ac eidem humiliter et devote more solito nomine suo et ecclesie sue predicte fidelitatis sacramentum prestitit in hunc modum, recepta tamen prius solempni investitura regalium nomine suo et ecclesie sue predicte a dicto domino imperatore per septem imperiale:

Ego Galliardus Arelatensis archiepiscopus recognoscens nomine meo et ecclesie Arelatensis, vos serenissimum principem dominum Henricum divina favente clementia Romanorum imperatorem esse et esse debere verum et legitimum dominum temporalem, iuro ad hec sancta Dei ewangelia coram me presentialiter preposita, quod ab hac hora inantea ero fidelis vobis et successoribus vestris et sacro Romano imperio tamquam vero et legitimo domino

meo temporali. Et quod non ero in consilio vel tractatu, quod perdati vitam aut membrum aut aliquem vestrum vel imperii honorem vel quod capiamini mala captione. Et si scivero aliquem vel aliquos illud tractare, pro posse meo impediam et si impedire non potero, illud vobis revelabo per me vel meum nuntium vel per meam epistolam. Et si aliquod secretum michi dixeritis ac inponetis, illud nemini pandam ad vestram lesionem. Et si aliquod consilium a me petieritis, illud vobis iustum, bonum et utile dabo secundum conscientiam meam. Et imperium quod habetis et terras et iura vestra et imperii adiutor ero ad manutenendum et defendendum et ad recuperandum contra omnes. Insuper confiteor et recognosco nomine quo supra, me tenere et tenere debere regalia ecclesie supradicte Arelatensis a vobis solo et Romano imperio et non alio et eadem de domino vestro et imperii aliquo tempore subtrahere non intendam. Consueta quoque servicia et debita vobis et imperio devote et fideliter exhibebo. Hec et alia, que in forma sacramenti fidelitatis nova et veteri continentur, attendere et observare promitto. Sic me Deus adiuvet et hec sancta Dei ewangelia.

Acta sunt hec Rome apud Sanctam Sabinam, anno, die, mense et indicione predictis. Presentibus (folgen die Zeugen).

k) Belehnung des Erzbischofs von Köln mit dem Herzogtum Westfalen. 13. April 1180. (Fahnenlehen.)

MG. Const. I 385.

Nos itaque, habita cum principibus deliberatione, communi ipsorum consilio ducatum, qui dicitur Westfalie et Angarie, in duo divisimus et consideratione meritorum, quibus dilectus princeps noster Phylippus Coloniensis archiepiscopus ob honorem imperialis corone promovendum et manutenendum nec rerum dispendia nec persone formidans pericula, gratie imperialis promeruit privilegium, unam partem, eam videlicet que in episcopatum Coloniensem et per totum Pathebrunnensem episcopatum extendebatur, cum omni iure et iurisdictione, videlicet cum comitatibus, cum advocatiis, cum conductibus, cum mansis, cum curtibus, cum beneficiis, cum ministerialibus, cum Mancipiis et cum omnibus ad eundem ducatum pertinentibus ecclesie Coloniensi legitime donavimus et de imperatoria liberalitate contulimus. Et requisita a principibus sententia, an id fieri liceret, adiudicata et

communi principum et totius curie assensu approbata, accedente quoque publico consensu dilecti consanguinei nostri ducis Bernhardi, cui reliquam partem ducatus concessimus, prememoratum archiepiscopum Phylippum portione illa ducatus, sue collata ecclesie, vexillo imperiali sollempniter investivimus.

l) Landeshoheit der geistlichen Fürsten, Privileg Friedrichs II. vom 26. April 1220, Nr. 18b.<sup>1</sup>

Vgl. die sententia de iure statuum terrae vom 1. Mai 1231.

MG. Const. II 420 „domini terrae“.

### 3. Königsschutz.<sup>2</sup>

Nr. 20.

a) Heinrich VI. an Coelestin III. 29. Febr. 1192.

MG. Const. I 490.

Reverendo in Christo patri Celestino sacrosancte Romane sedis summo pontifici H. Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus salutem et sincerum filialis dilectionis affectum.

Inter variarum rerum eventus varios cum multa frequentius nostris auribus insonare soleant, nunc tandem res quedam inopinata et cui vix fidem adhibere possumus, ad maiestatis nostre prolata est audientiam. Audivimus enim, quod monasterium sancti Benedicti de Monte Cassino occasione nostri sub interdicto posueritis et in monachos eiusdem monasterii sententiam tuleritis excommunicationis. Super quo nostre serenitati tanto vehementior occurrit admiratio quanto specialius ecclesia Cassinensis ex privilegiis antecessorum nostrorum tam regum quam imperatorum, que inibi pre manibus habentur, nobis pertinere dinoscitur et imperio, et quanto uberiori bone pacis et amicabilem concordie firmitudine magnificentiam imperialem a vestra sanctitate nuperrime in coronatione nostra sperabamus recessisse; precipue cum et tunc prompti fuerimus et nunc parati sumus ad exequendum ea que vestre complacere debeant paternitati. Ut itaque hec, que circa hoc

<sup>1</sup> Werminghoff, Verfassungsgeschichte der deutschen Kirche im MA. § 27.

<sup>2</sup> H. Brunner, Deutsche Rechtsgeschichte II 48 ff.; Hans Hirsch, Die Klosterimmunität seit dem Investiturstreit. 1913. E. E. Stengel, Die Immunität in Deutschland. 1910.

ipsum factum minus circumspecto, ut nobis videtur, consilio acta sunt, in eo severitatis rigore diutius non perdurent, dilectum principem nostrum Bertrannum Metensem episcopum, virum prudentem ac discretum, et fidelem nostrum Henricum nobilem virum advocatum de Huneburch ad vestram dirigimus presentiam, rogantes attentius quatinus, eorum commonitione ex parte nostra super hoc benigne admissa, elatam sententiam in prememoratum monasterium et monachos nostre serenitatis intuitu revocetis. Ceterum eisdem fidelibus nostris presentium latoribus super hiis, que ex parte nostra industrie vestre intimaverint, fidem adhibeatis indubitatum.

Datum apud Hagnowe, II. Kalendas Martii.

b) Verleihung des Königsschutzes. Konrad II. nimmt das Kloster S. Nazaro e Celso in seinen Schutz. 1038.

MG. Dipl. IV 379.

. . . Que ad memoratum monasterium pertinent sive per cartularum traditionem seu per cuiuscumque negotii actionem, sub nostri mundiburdii ac precepti auctoritate suscipimus, ea videlicet ratione ut nullus dux marchio comes vicecomes sculdaxio seu quilibet magna parvaque nostri imperii persona de rebus ad ipsum monasterium pertinentibus, mobilibus et immobilibus curtis mansariciis terris pratis pascuis silvis vineis molendinis exitibus redditibus servis vel ancillis, molestari inquietare vel disvestire presumat. Si quis autem contra hanc nostram auctoritatem, quod fieri nequaquam credimus, ire quandoque temptaverit vel monachos inibi deo servientes molestare de suis bonis presumpserit, mille libras auri purissimi persolvat, medietatem camerae nostrae et medietatem ad predictum monasterium. Et ut haec auctoritas nostri precepti atque mundeburdii firmior per futura tempora habeatur, manu propria subtus eam firmavimus et sigillo nostro sigillari iussimus.

#### 4. Gottesfrieden und Asylrecht.

(Vgl. Heft I Nr. 9 d.)

##### Nr. 21.

a) III. Laterankonzil 1179 c. 21 (c. 1 x 1, 34).

Treugas a quarta feria post occasum solis usque ad secundam feriam in ortu solis, ab adventu Domini usque

ad octavas Epiphaniae, et a Septuagesima usque ad octavas Paschae ab omnibus inviolabiliter observari praecipimus.

c. 22 (c. 2 x 1, 34):

Innovamus autem, ut presbyteri, monachi, conversi, peregrini, mercatores, rustici, euntes et redeuntes, et in agricultura existentes, et animalia, quibus arant et quae semina portant ad agrum, congrua securitate laetentur.

b) Bernhard von Pavia, Summa I 24 ed. Laspeyres 19.

Treuga est securitas praestita personis et rebus discordia non finita, pax vero est discordiae finis; aliquando tamen pax treuga vocatur, ut C. 24 qu. 3 c. 25. Quaedam autem habent perpetuam treugam, ut clerici, monachi, conversi, peregrini, mercatores et rustici, et animalia quibus terra colitur, ut infra eodem (c. 2 x 1, 34); quaedam vero temporalem, ut ne quis in alium insultum faciat a vespera quartae feriae usque in exordium secundae feriae, ab adventu usque ad octavam Epiphaniae et a Septuagesima usque ad octavam Pascae. De feriis autem forte ista ratio reddi potest; quinta feria habet privilegium treugae propter Domini ascensionem quae tali die celebratur, sexta propter Domini passionem sabbatum, quia dies est requiei, dominica propter Domini resurrectionem et spiritus sancti in Pentecosten dationem.

c) Sachsenspiegel Landrecht II 66.

Zeumer a. a. O. 61.

Alle tage und alle zit sollen vrede haben phaphen unde geistliche lude, megede unde wiph an yrme libe und an yrme gude. Kerken unde kerkhove, unde jewelk dorph binnen siner gruve unde sinem tune, pluge unde molen, unde des küniges strazen in wazzere und in velde, die sollen stete vrede haben, unde alliz daz da binnen kumt.

Heylige tage unde bundene zit sin allen luden zu vrede gesazt; daz in jewelcher wochen vier tage: die donnertac und fridach, sunafunt und suntach.

d) (Asylrecht.) Bayerischer Landfriede von 1256 c. 31.

MG. Const. II 599.

chloster, chirchen, vrithof, widem, mul, wingarten, paumgarten und impen in ir vazzen suln ganzten frid haben. Swer si angriffet, der ist fridpraech.

5. *Freiheit der Bischofswahl.*<sup>1</sup>  
(Vgl. Wormser Konkordat, Heft I Nr. 11 m.)

## Nr. 22.

- a) Friedrichs I. Mandat für Cambrai. 1167.  
(Eingreifen bei zwiespältigen Wahlen.)

MG. Const. I 327.

Licet enim, vobis discordantibus, de iure imperii quamlibet personam idoneam vobis subrogare possemus et quia iura imperii . . . apud vos nobis negata sunt, scilicet quod res episcopales decedente episcopo ad eandem manum non redierunt de cuius munere eas constat descendisse — deberet in detrimentum libertatis vestrae redundare . . . Quod si infra indultum a nostra pietate tanti temporis spacium concordie electione, paribus votis in unum convenire non poteritis, nos de superabundanti iure imperii personam, quam ex divino arbitrio et consilio principum elegerimus, idoneam tamen, vobis in dominum et episcopum ex tunc preficiemus.

- b) Friedrichs II. goldene Bulle von Eger vom 12. Juli 1213  
vgl. Nr. 18 a.

- c) Privileg Rudolfs I. v. 14. Febr. 1279.

MG. Const. III 209.

n. 2. Illum igitur abolere volentes abusum, quem interdum quidam predecessorum nostrorum exercuisse noscuntur et dicuntur in electionibus prelatorum, concedimus et sancimus, ut electiones prelatorum libere et canonice fiant, quatinus ille preficiatur ecclesiae viduatae, quem totum capitulum vel maior et sanior pars ipsius duxerit eligendum, dummodo nihil desit de canonicis institutis.

6. *Spolienrecht.*<sup>2</sup>

## Nr. 23.

- a) Adami Gesta Hammaburg. Eccles. Pont. III 66.  
SS. rerum Germanicarum rec. Lappenberg p. 144.

Obiit autem clarissimus noster metropolitanus Adalbertus 17. Kalend. Aprilis, indictione 10.<sup>3</sup> . . . Praeter libros

<sup>1</sup> A. Werminghoff a. a. O. § 60.

<sup>2</sup> A. Meister, Deutsche Verfassungsgeschichte<sup>2</sup> 97 ff.

<sup>3</sup> 16. März 1072.

atque sanctorum reliquias et vestimenta sacra fere nichil inventum est in tauris eiusdem viri. Quae tamen omnia rex accipiens, una cum praeceptis ecclesiae tulit etiam manum sancti Iacobi apostoli.

- b) Arnoldi chronica Slavorum III 17.  
SS. rerum Germanicarum rec. Pertz p. 102.

. . . domnus Papa (Urbanus III.), ut zelator iustitiae, pro defensione sancte Romane ecclesiae constanter agebat, nec terreni imperii metuens principatum, que sui iuris erant intrepidus requirebat. Arguebat sane imperatorem (Fredericum I.) de patrimonio domne Mechtildis . . . Affirmabat etiam, quod episcoporum exuvias iniuste acciperet, quae dum ipsis mortuis de ecclesiis rapiuntur, ecclesie quasi corrose et exspoliatae ab episcopis subinfrantibus inveniuntur, ita ut necessitate quadam raptos iniusti inveniuntur, dum ablatis stipendiis, que confiscata fuerant, de novo resarcire cogantur.

- c) Gesta Trevirorum cont. III.

MG. SS. XXIV 383.

Post cuius (Arnoldi I. archiepiscopi Trevirensis) decesum<sup>1</sup> parum vel nichil de omnibus divitiis suis, quas in urbe vel castellis reliquerat, ad effectum suae ordinationis processit, preter hoc solum, quod industria prefatorum abbatum illa rata manserunt, quae ecclesiis ad elemosinam concessit. Siquidem Wernerus de Bonlanden cum aliis nuntiis imperatoris omnia ubique invaserunt et copiosas eius divitias in potestatem imperatoris redegerunt.<sup>2</sup>

- d) Gesetz Friedrichs I. vom 26. September 1165  
über die Testierfreiheit der Kleriker.

MG. Const. I 321.

c. 5. . . venerabilis cleri Wormaciensis ecclesiae decedenti bonorum suorum mobilium quod optaverit cuiuslibet ecclesiae seu personae in ultima voluntate relinquere

<sup>1</sup> gestorben am 25. Mai 1183. — Vgl. Th. J. Lacomblet, Urkundenbuch für die Geschichte des Niederrheins I 368 Nr. 527 Urk. des Erzbischofs Philipp von Köln zwischen 1183—1190: Dominus imperator Fridericus augustus, qui reliqua bona decedentis archiepiscopi (Arnoldi Trevirensis) iure fisci sibi vindicaverat. <sup>2</sup> Vgl. Nr. 22a.

aut pro remedio anime sue vel alio quovis respectu tribuere et testamentum facere sub testimonio adminus duorum confratrum suorum — sane huic libertate perpetuam tribuimus firmitatem.

e) Friedrichs II. Verzicht auf Spolien- und Regalienrecht. 1216.

MG. Const. II 68.

. . . Ideoque veterem illam consuetudinem detestantes, quam antecessores nostri Romanorum imperatores et reges in cathedralibus exercuerunt ecclesias et abbatias quae manu regia porriguntur, quod videlicet decedentibus episcopis et prelatibus earum non tam reliquias rerum mobilium eorundem consueverant occupare ac convertere in usus proprios occupatas, quam etiam redditus et proventus per totius anni primi circulum ita prorsus auferre, ut nec solvi possent debita decedentis nec succedenti prelato necessaria ministrari, eidem consuetudini sive iuri, vel quoque vocabulo exprimat, renunciemus penitus ob reverentiam Crucifixi, cuius in nostro corpore bñulam insignia; illud eidem ecclesiis perpetuo iure donantes et auctoritate regia statuentes, ut ecclesiarum omnium libertate integra semper in omnibus permanente, res et redditus huiusmodi in solvenda debita decedentium prelatorum et in alios ecclesiarum usus per manus legitime succedentium libere convertantur.<sup>1</sup> . . .

f) Friedrichs II. Gesetz zugunsten der geistlichen Fürsten vom 26. April 1220, art. 1, vgl. Nr. 18 b.

g) Rudolfs I. Privileg vom 14. Februar 1279.

MG. Const. III 209.

n. 4. Illum quoque dimittimus et refutamus abusum, quem in occupandis bonis decedentium prelatorum aut etiam ecclesiarum vacantium nostri consueverunt antecessores committere pro motu propriae voluntatis. Omnia vero spiritualia vobis et aliis ecclesiarum prelatibus relinquimus libere disponenda, ut que sunt cesaris cesari et que sunt Dei Deo recta distributione reddantur.

<sup>1</sup> Vgl. auch Friedrichs II. goldene Bulle von Eger vom 12. Juli 1213 Nr. 18 a.

h) Regaliensperre.

Bruno, De bello Saxonico 112.

MG. SS. V 374.

Quae sanctae Romanae ecclesiae edicta (Exkommunikation Heinrichs IV.) sicut alia multa contempnens, regnum sibi iam secundo interdictum invadens, usque adeo demolitus est (Henricus IV.) dissipando, ut iam regnum dici non valeat, cui nulla pene regalia supersunt. Cum autem ad conciliandos sibi fautores regni facultates sibi non sufficerent, manum in sancta sanctorum extendens, ecclesiarum Dei publicus invasor effectus est, non eo quasi modo, quo iam ab aliquibus tyrannis praesumptum esse cognovimus. Incomparabiles enim et sine exemplo praeveraricationes istae sunt. Nam non quaelibet praedia aut modicas aliquas facultates ecclesiarum, sed episcopatus quam plures aufugatis episcopis sibi usurpavit, et quicquid ad servitia vel sustentationes episcoporum pertinuit, totum suis suorumque usibus mancipavit.

#### 7. Die geistlichen Standesprivilegien.

Nr. 24.

a) Heinrich VI. 12. Februar 1234.

MG. Const. II 430.

. . . Cum in sollempni curia in Frankenvort ex communi consensu principum a nobis sit decretum: ut quicumque saeculare iudicium adversus aliquem clericum exercuerit in hiis quae sanguinis iudicium requirunt, ante degradationem ab episcopis faciendam,<sup>2</sup> praeter id quod in canonem latae sententiae incidit, a quo praeter indultum domini papae speciale nequit absolvi, ex nostra sit sententia proscribendus.

b) Urteil des Hofgerichts vom 21. November 1298.

MG. Const. IV 1091.

Ich grave Herman von Sulz saz ze gerichte an mins herren stat des Römischen kunges Albrehtes unde tün kunt, daz dem . . . abte von Volkolderode ist ein gemeine

<sup>1</sup> Hinschius, Kirchenrecht I 178 ff. (p. canonis); I 123 (p. immunitatis); I 106, 119, 123 (p. fori).

<sup>2</sup> c. 27 x 5, 40.

urteile erteilt, daz kein weltlich rihter keinen geistlichen man mit rehte in die aht getün mag.<sup>1</sup> Des gib ich im ze gezeuge des gerihtes brief.

c) Hofgerichtsurteil vom 17. Januar 1313 für das Kloster Brumbach.

MG. Const. IV 1111.

Es ist ouch erteilt vor gerihte mit gesamnter urteil, daz Gernot Kotbus oder ieman von sinen wegen die vorgesriben geistlichen lüte umbe die selben sache fürbaz me niht ansprechen sol noch enmag vor keinem werltlichem gerihte denne vor geistlichem gerihte,<sup>2</sup> do er si ze rehte ansprechen sol.

d) Verletzung der Immunität, vgl. Ges. Friedrichs II. vom 22. Nov. 1220 art. 3, Nr. 18 d; Asylrecht Nr. 20 c, d.

## C. Kirchliche Stellung und Rechte des Kaisers.

### 1. Salbung und Krönung.<sup>3</sup>

Nr. 25.

a) Coronatio Aquisgranensis.

MG. Leges II 384—392.

Ad consecrandum seu coronandum regem Alemanie hoc modo procedatur. Primo in ecclesia Aquensi sit indutus plenis pontificalibus archiepiscopus Coloniensis ex iure regni debitus consecrator, Maguntinensis vero et Treverensis archiepiscopi similiter induantur ornamentis pontificalibus et desuper pluvialibus, et cum debito ordine ministrorum, cruce, thuribulo, et textu evangeliorum preecedentibus, occurrant regi venienti ad fores ecclesie.

Ubi archiepiscopus Coloniensis eum recipiens dicat: *Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit celum et terram. Item ipse. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in saeculum.* Oremus. *Omnipotens*

<sup>1</sup> Über das Verbot des Ächtens von Geistlichen vgl. J. Pötsch, Die Reichsacht im Mittelalter und besonders in der neueren Zeit. 1911. S. 65.

<sup>2</sup> c. 12 x 2, 2; Ges. Friedrichs II. vom 22. November 1220 Art. 2 und 4, Nr. 18 d.

<sup>3</sup> A. Meister a. a. O. 91 ff.; Werminghoff a. a. O. § 22.

*sempiternus Deus, qui famulum tuum N. regni fastigio dignatus es sublimare, tribue ei quaesumus, ut ita in presentis seculi cursu, cunctorum in communem salutem disponat, quatenus a tue veritatis tramite non recedat. Per dominum nostrum.*

Hac collecta dicta, archiepiscopi Maguntinensis et Treverensis suscipientes regem unus ex uno, alter ex altero latere, per manus ipsum ducant ad chorum, preecedente archiepiscopo Coloniensi, cum clero, cruce, et thuribulo, textu evangeliorum et reliquiis, et sic preecedentes, clerus cantet: *Ecce mitto angelum meum, qui precedat te et custodiat semper. Observa et audi vocem meam, et inimicus ero inimicis tuis et affligentes te affligam, et precedet te angelus meus. Israhel si me audieris, non erit in te deus recens, neque adorabis deum alienum; ego enim Dominus; et precedet te angelus meus.* Et cum perductus fuerit ad chorum, prosternat se super tapetum ad gradus altaris totus in longum, et dicat archiepiscopus Coloniensis super ipsum prostratum: *Domine salvum fac regem, et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.* Oremus. Oratio. *Deus qui scis genus humanum nulla virtute posse subsistere, concede propitius, ut famulus tuus N. quem populo tuo voluisti proferri, ita tuo fulciatur adiutorio, quatenus quibus potuerit preesse, valeat et prodesse. Per Dominum nostrum.* Oratio. *Omnipotens sempiternus Deus celestium terrestriumque moderator, qui famulum tuum ad regni fastigium dignatus es provehere, concede quesumus, ut a cunctis adversitatibus liberatus, et ecclesiastice pacis donumuniat, et ad aeternae pacis gaudia pervenire te donante mereatur. Per Dominum nostrum.*

His dictis erigat se rex, et ponat se super sedem regiam, et adducatur regina, si presens affuerit, et collocetur iuxta regem in latere sinistro; et archiepiscopus Maguntinensis in dextro, et archiepiscopus Treverensis in sinistro latere iuxta reginam se ponant; et archiepiscopus Coloniensis exuto pluviali et induta casula celebratur missam dicat. *Confiteor Deo omnipotenti etc.* Quo dicto, incipiatur missa solemniter. Introitus. *Ecce advenit dominator Dominus, et regnum in manu eius et potestas et imperium.* Per. *Deus iudicium tuum regi da, et iusticiam tuam filio regis.* Iste due collecte concludantur sub eodem. *Per dominum.* Collecta. *Deus qui unigenitum tuum gentibus stella duce revelasti, concede propitius, ut qui iam te*

*ex fide cognovimus, usque ad contemplandam speciem tue celsitudinis perducamur. Collecta. Deus qui miro ordine angelorum universa disponis et ineffabiliter gubernas, presta quesumus, ut famulus tuus iste quem in regem assumere voluisti, huius seculi iustitiam iuste decernat implendam, unde tibi in perpetuum placere valeat in regione vivorum. Per dominum. Lectio Ysaie prophete. Surge illuminare Iherusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebre operient terram, et caligo populos. Super te autem orietur Dominus, et gloria eius in te videbitur; et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos et vide; omnes isti congregati sunt, venerunt tibi, filii tui de longe venient, et filie tue de latere surgent. Tunc videbis et afflues et mirabitur tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Effa. Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes et laudem Domino annunciantes. Graduale. Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes et laudem Domino annunciantes. Versus. Surge et illuminare, Iherusalem, quia gloria Domini super te orta est.*

*Alleluja. Vidimus stellam eius in Oriente, et venimus cum muneribus adorare Dominum. Sequitur Sequentia. Festa Christi omnis christianitas celebret. Que miris sunt modis ornata cunctisque veneranda populis. Per omnitenentis adventum atque vocationem gentium ut natus est Christus, est stella magis visa lucida. At illi non cassam putantes tanti signi gloriam, secum munera deferunt, parvulo offerunt, ut regi celi quem sydus predicat. Atque aureo tumidi principis lectulo transito, presepe Christi queritant. Huic ira sevi Herodis fervida mundi recens rectori genito Bethlehem parvulos precepit ense crudeli perdere. O Christe, quantum patri exercitum iuvenis doctus ad bella maxima populis predicans collegis sugens cum tantum miseris. Anno hominis tricesimo subthus famuli se incliti inclinaverat manus Deus, consecrans nobis baptismum in absolutionem criminum. Ecce spiritus in specie ipsum alitis innocue uncturus, sanctis pre omnibus visitat, semper ipsius contentus mansione pectoris. Patris etiam insonuit vox pia, veteris oblita sermonis „penitet me fecisse hominem“. Vere filius es tu meus michimet placitus, in quosum placatus, hodie te mi fili genui. Huic omnes auctoritate populi preceptorum. Si tempus fuerit quadragesimale,*

*dimissis Alleluja et prosa cantetur tractus ipse: Desiderium anime eius tribuisti ei, et voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Quoniam prevenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Versus. Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.*

Hic surgat rex, et deposito pallio regio, ducatur per archiepiscopos Maguntinensem et Treverensem ad gradus altaris, et prostratus totus in modum crucis, cantetur letania a duobus clericis; in qua loco suo erigens se archiepiscopus Coloniensis, baculum in manu sua tenens, dicat: *Ut hunc famulum tuum N. in regem eligere digneris. Clerus. Te rogamus audi nos. Item Coloniensis: Ut eum benedicere + sublimare + et consecrare + digneris. Clerus. Te rogamus. Item Coloniensis: Ut eum ad regni et imperii fastigium feliciter perducere digneris. Clerus. Te rogamus. Deinde illi duo clerici resumant et compleant letania. Ut pontificem nostrum etc.*

Finita letania erigat se dominus Coloniensis, et rex similiter levet se; et dominus Coloniensis a rege querat: *Vis sanctam fidem catholicis viris traditam tenere et operibus iustis servare? Respondeat rex: Volo.*

Item Coloniensis: *Vis sanctis ecclesiis ecclesiarumque ministris fidelis esse tutor et defensor? Rex: Volo.*

Item Coloniensis: *Vis regnum a Deo tibi concessum secundum iustitiam predecessorum tuorum regere et efficaciter defendere? Rex: Volo.*

Item Coloniensis: *Vis iura regni et imperii, bona eiusdem iniuste dispersa, conservare et recuperare, et fideliter in usus regni et imperii dispensare? Rex: Volo.*

Item Coloniensis: *Vis pauperum et divitum, viduarum et orphanorum, equus esse iudex et pius defensor? Rex: Volo.*

Item Coloniensis: *Vis sanctissimo in Christo patri et domino Romano pontifici et sancte Romane ecclesie subiectionem debitam et fidem reverenter exhibere? Rex, duobus positus digitis manus sue dextere super altare, dicat: Volo, et in quantum divino fultus fuero adiutorio, et precibus fidelium christianorum adiutus valvero, omnia premissa fideliter adimplebo; sic me Deus adiuvet et sancti eius.*

Extunc reducatur iterum ante altare ubi prius. Et dominus Coloniensis a principibus Alemanie, clero et populo circumstantibus, querat dicens: *Vultis tali principi ac rectori vos subicere, ipsiusque regnum firmare, fide*

*stabilire, atque iussionibus illius obtemperare; iuxta apostolum: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, sive regi quasi precellenti?* Ad quam questionem, domini archiepiscopi Maguntinensis et Treverensis, principes Alemanie, clerus, populus, assistentes respondeant dicentes: *Fiat. Fiat. Fiat.* Et quia rex tanquam illiteratus et laicus premissas interrogationes et earum responsiones in latino dictas non intelligit, dominus Coloniensis per se vel per clericum unum cui faciendum mandaverit, premissas interrogationes et earum responsiones domino regi in vulgari nostro, id est in teutonico, manifestius declarabit; quo facto iterum rex prosternat se in longum et dominus Coloniensis super eum dicat benedictionem istam. *Oremus.* Oratio. *Benedic Domine hunc regem nostrum N., qui regna omnium moderaris a seculo, et tali eum benedictione glorifica, ut Davitice teneat sublimitatis sceptrum, et glorificatus in eius protinus reperiatur merito. Da ei tuo inspiramine, cum mansuetudine ita regere populum, sicut Salomonem fecisti regnum obtinere pacificum. Tibi semper sit cum honore subditus, tibi que militet cum quiete, sit tuo clipeo protectus cum proceribus, et ubique tua gratia victor existat. Honorifica eum pre cunctis regibus gentium; felix populis dominetur, et feliciter eum nationes adornent. Vivat inter gentium catervas magnanimus; sit in iudiciis equitatis singularis. Locupletet eum tua predives dextera; frugiferam obtineat patriam, et eius liberis tribuas profutura. Presta ei prolixitatem vite per tempora, et in diebus eius oriatur iusticia. A te robustum teneat regiminis solium, et cum iusticia et iocunditate eterno gloriatur in regno.* Item dominus Coloniensis super eum dicat. *Oremus.* Oratio. *Deus ineffabilis auctor mundi, conditor generis humani, gubernator imperii, confirmator regni, qui ex utero fidelis amici tui, patriarche nostri Abrahe, prelegisti reges seculis profuturos; tu presentem regem hunc N. cum exercitu suo per intercessionem omnium sanctorum uberi benedictione locupleta, et in solium regni firma stabilitate connecte. Visita eum sicut Moysen in mari rubro, Iesum Nave in prelio, Gedeonem in agro, Samuelem in templo et illa eum benedictione sydere ac sapiencie rore perfunde, quam beatus David in psalterio, Salomon filius eius te remunerante percepit e celo. Sis ei contra acies inimicorum lorica, in adversis galea, in prosperis paciencia, in protectione clipeus sempiternus; et presta, ut gentes*

*illi teneant fidem, proceres sui habeant pacem, diligat caritatem, abstineat se a cupiditate, loquatur iusticiam, custodiat veritatem, et ita populus iste, sub eius imperio pullulet, ita alitus benedictione eternitatis, ut semper maneat tripudiantes et in pace victores. Quod ipse prestare dignetur, qui vivit et regnat Deus in secula seculorum. Amen.*

Hic iterum erigat se rex, et dominus Coloniensis ungat caput eius, pectus inter scapulas, et ambas iuncturas brachiorum circa scapulas, de oleo sacro cathecuminum, ita dicens: *Pax tibi. Clerus. Et cum spiritu tuo.* Dominus Coloniensis: *Ungo te in regem de oleo sanctificato in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.* Et interea clerus cantet: *Unxerunt Salomonem Sadoch sacerdos et Nathan propheta regem in Syon, et procedentes leti dixerunt vivat rex in aeternum.* Postea dominus Coloniensis ungat palmas manuum domini regis dicens: *Ungantur manus iste de oleo sanctificato, unde uncti fuerunt reges et prophete, et sicut unxit Samuel David in regem; ut sis benedictus et constitutus rex in regno isto super populum istum, quem dominus Deus tuus dederit tibi ad regendum et gubernandum. Quod ipse prestare dignetur, qui vivit et regnat Deus in secula seculorum. Amen.* Interea clerus iterum cantet: *Unxit te Deus etc.*

Factis unctionibus istis, statim sint parati caplani domini regis, et cum lana mundissima detergant omnia ubi dominus Coloniensis oleum sacrum apposuit. Hic ducatur rex ad armarium, et induatur ibidem sandaliis, alba et stola ad modum crucis in pectore, sine cappa, et ita redeat ad suam sedem circa altare; et deinde dominus Coloniensis dicat: *Oremus.* Oratio. *Prospice omnipotens Deus serenis obtutibus gloriosum regem N. et sicut benedixisti regem Abraham Ysaac et Jacob, sic illum largis benedictionibus spiritalis graciae cum omni plenitudine tue potencie irrigare atque perfundere digneris. Tribue ei de rore celi et de pinguedine terre habundantiam frumenti vini et olei, et omnium frugum opulenciam, ex largitate divini muneris longa per tempora, ut illo regnante sit sanitas corporum in patria, et pax inviolata in regno, et dignitas gloriosa regalis palatii, maximo splendore regie potestatis oculis omnium fulgeat, luce clarissima clarescat, atque splendore quasi splendidissima fulgura, maximo perfusus lumine videatur. Tribue ei omnipotens Deus, ut sit*

*fortissimus protector patrie, et consolator ecclesiarum atque cenobiorum sanctorum maxima cum pietate regalis munificencie, atque ut sit fortissimus regum, triumphator hostium, ad opprimendas rebelles et paganas nationes. Sitque suis inimicis satis terribilis pre maxima fortitudine regalis potencie, optimatibus quoque et precelsis proceribus ac fidelibus sui regni sit magnificus et amabilis et pius, ut ab omnibus timeatur atque diligatur. Reges quoque de lumbis eius per successiones temporum futurorum egrediantur, regnumque hoc valeat regere totum, et post gloriosa tempora atque felicia presentis vite, gaudia eterna in perpetua beatitudine habere mereatur. Quod ipse prestare dignetur. Oremus. Oratio. Spiritus sancti gracia humilitatis nostre officio in te copiosa descendat, ut sicut manibus nostris indignis oleo materiali delibutus pinguis exteriorius, ita eius invisibili unguine delibutus inpinguari merearis interiorius, eiusque spirituali unctione perfectissime semper imbutus, et illicita declinare tota mente et spernere discas seu valeas, et utilia anime tue iugiter cogitare, optare atque operari queas; auxiliante domino nostro Ihesu Christo qui cum Deo patre et eodem Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia secula seculorum amen. Oratio. Oremus. Deus qui es iustorum gloria et misericordia peccatorum, qui misisti filium tuum preciosissimo sanguine suogenus humanum redimere, qui conteris bella, et propugnator es in te sperantium, et sub cuius arbitrio omnium regnorum continetur potestas, te humiliter deprecamur, ut presentem famulum tuum N. in tua misericordia confidentem benedicas, eique propicius adesse digneris, ut qui tua expetit benedictione defendi, omnibus sit hostibus fortior. Fac eum Domine beatum esse, et victorem de inimicis suis; corona eum corona iusticie et pietatis, ut ex toto corde et tota mente in te credens, tibi deserviat, sanctam tuam ecclesiam defendat et sublimet, populumque a te sibi commissum iuste regat; nullis insidiantibus malis eum in iniusticiam vertat. Accende Domine cor eius ad amorem graciae tue per hoc unctionis oleum, unde unxisti sacerdotes, reges et prophetas, quatenus iusticiam diligens, per tramitem iusticie populum similiter ducens, post peracta a te disposita in regali excellencia annorum curricula pervenire ad gaudia eterna mereatur. Per eundem etc.*

*Per omnia secula seculorum. Assistentes: Amen.*

*Dominus vobiscum. Assistentes: Et cum spiritu tuo.*

*Sursum corda. Assistentes: Habemus ad Dominum.*

*Gratias agamus domino Deo nostro. Assistentes: dignum et iustum est.*

*Vere dignum et iustum est equum et salutare, nos tibi semper et ubique gracias agere, domine sancte, pater omnipotens, eterne Deus, creator omnium, imperator angelorum, regnancium rex, dominusque dominancium, qui Abraham famulum tuum de hostibus triumphare fecisti, Moysi et Josue populo prelati multiplicem victoriam tribuisti, humilemque David tuum puerum regni fastigio sublimasti, et Salomonem sapientie pacisque munere ditasti; respice quesumus ad preces humilitatis nostre, et super hunc famulum tuum N. quem supplici devocione in regem eligimus, benedictionum tuarum dona in eo multiplicata, eumque dexterae tue potencie semper et ubique circumda, quatenus predicti Abrahe fide fideliter firmatus, Moysi mansuetudine fretus, Josue fortitudine munitus, David humilitate exaltatus, Salomonis sapientia decoratus, tibi in omnibus placeat, et per tramitem iusticie [inoffenso gressu] semper incedat, ecclesiam tuam deinceps cum plebibus sibi annexis ita enutriet ac doceat, munit et instruat, contraque omnes visibiles et invisibiles hostes eidem potenter regaliterque tue virtutis regimen amministret, et ad vere fidei pacisque concordiam eorum animos te opitulante reformet, ut horum populorum debita subiectione fultus, cum digno amore glorificatus, ad paternum decenter solium tua miseratione conscendere mereatur. Tue quoque protectionis galea munitus, et scuto insuperabili iugiter protectus, armisque celestibus circumdatus, optabilis victoriae triumphum feliciter capiat, terroremque sue potencie infidelibus inferat, et pacem tibi militantibus letanter reportet. Per Dominum nostrum, qui virtute sancte crucis tartara destruxit, regnoque Dyaboli superato, victor ad celos ascendit; in quo potestas omnis regum consistit et victoria, qui est gloria humilium et vita salusque populorum. Qui tecum vivit etc. Oremus. Oratio. Deus Dei filius Ihesus Christus dominus noster, qui a Patre oleo exultationis unctus est, pre participibus suis, ipse per presentem sacri unguinis infusionem Spiritus paracliti super caput tuum infundat benedictionem, eandemque usque ad interiora cordis tui penetrare faciat, quatinus hoc visibili et tractabili dono, invisibilia percipere, et temporali regno iustis moderaminibus executi, eternaliter cum eo regnare merearis, qui solus sine peccato regum rex vivit et*

*regnat et gloriatur cum Deo patre in unitate eiusdem spiritus, per omnia secula seculorum. Amen.*

Postea dominus Coloniensis, Maguntinensis et Treverensis archiepiscopi simul tradant domino regi gladium, domino Coloniensi dicente. (Regalia ordine tradantur, sic locentur ad sinistram altaris.) *Accipe gladium per manus episcoporum, licet indignas, vice tamen et auctoritate sanctorum apostolorum consecratas, tibi regaliter impositum, nostrique benedictionis officio in defensionem sancte ecclesie divinitus ordinatum; et esto memor de quo psalmista prophetavit dicens: (Hic se rex accingat.) Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, ut in hoc per eundem vim equitatis exerceas, iniquatis molem potenter destruas, et sanctam Dei ecclesiam eiusque fideles propugnes ac protegas, nec minus sub fide falsos quam christiani nominis hostes execres ac destruas; viduas et pupillos clementer adiuves ac defendas, desolata restaures, restaurata conserves, ulciscaris iniusta, confirmes bene disposita; quatinus hec in agendo virtutum triumpho gloriosus, iusticieque cultus egregius, cum mundi Salvatore cuius typum geris in nomine, sine fine merearis regnare. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in secula seculorum. Amen.*

Hic accinctus gladio, accipiat a domino Coloniensi armillas, pallium et annulum, dicente sibi domino Coloniensi: *Accipe regie dignitatis annulum, et per hunc catholice fidei cognosce signaculum; et ut hodie ordinaris caput et princeps regni et populi, ita perseverabilis auctor ac stabilitor christianitatis et christiane fidei fias, ut felix in opere cum rege regum glorieris per evum, cui est honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen.*

Postea dominus Coloniensis tradat ei sceptrum et pomum dicens: *Accipe virgam virtutis atque equitatis, qua intelligas mulcere pios et terrere reprobos, errantibus viam pandere lapsisque manum porrigere, disperdasque superbos et releves humiles; et aperiat tibi ostium Ihesus Christus dominus noster, qui de seipso ait: Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur. Et ipse est qui est clavis David et sceptrum domus Israel; qui aperit et nemo claudit; claudit et nemo aperit. Sitque tuus ductor, qui educit vincitum de domo carceris sedentem in tenebris et umbra mortis, et in omnibus sequi merearis eum, de quo propheta David cecinit: Sedes tua Deus in seculum seculi, virga equitatis virga regni tui; et imitando ipsum diligas*

*iusticiam et odio habeas iniquitatem: quia propterea unxit te Deus deus tuus, ad exemplum illius, quem ante secula unxerat oleo exultationis pre participibus suis, Iesum Christum dominum nostrum.*

Hic dominus Coloniensis, domini Maguntinensis et Treverensis archiepiscopi, simul superponant coronam regiam et pariter dicant: *Accipe coronam regni, quae licet ab indignis, episcoporum tamen, manibus capiti tuo imponitur, quamque sanctitatis gloriam et fortitudinis expresse signare intelligas, et per hanc te principem ministerii nostri non ignoras, ita ut sicut nos in interioribus pastores rectoresque animarum intelligimur, ita et tu in exterioribus verus Dei cultor strenuusque contra omnes adversitates ecclesie Christi defensor regnique a Deo tibi dati existas, et per officium nostre benedictionis vice apostolorum omniumque sanctorum suffragio tuo regimini utilis executor regnatorque proficius semper appareas; ut inter gloriosos athletas, virtutum gemmis ornatus et premio sempiternae felicitatis coronatus, cum redemptore ac salvatore domino nostro Ihesu Christo cuius nomen vicemque gestare crederis, sine fine glorieris; qui vivit et imperat Deus, cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti, per omnia secula seculorum. Clerus. Amen.*

Hic dominus Maguntinensis et Treverensis archiepiscopi ducant dominum regem ad altare. Et rex, positus ambabus manibus suis super altare, hanc faciat professionem in suo vulgari, et prius in latino: *Profiteor et promitto coram Deo et angelis eius, ammodo et deinceps legem et iusticiam pacemque sancte Dei ecclesie servare, populoque michi subiecto prodesse et iusticiam facere; et conservare iura regni, salvo condigno divine misericordie respectu, sicut cum consilio principum et fidelium regni atque meorum melius invenire potero; sanctissimo Romano pontifici et ecclesie Romane, ceterisque pontificibus et ecclesiis Dei, condignum et canonicum honorem volo exhibere; ea etiam que ab imperatoribus et regibus ecclesiis seu ecclesiasticis viris collata sunt et erogata, inviolabiliter ipsis conservabo, et faciam conservari; abbatibus et ordinibus et vasallis regni honorem congruum volo portare et exhibere, domino nostro Ihesu Christo michi prestante auxilium fortitudinem et decorem.*

Post istam professionem, domini Maguntinensis et Treverensis archiepiscopi ipsum regem ducant ad solium

suum, sedem regiam, clero cantante Responsorium. (Hic ducatur dominus rex superius ad altare Symonis et Iude in ecclesia Aquensi.) *Desiderium anime eius tribuisti ei Domine, et voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Versus. Quoniam prevenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronam de lapide precioso, et voluntate etc.*

Deinde dicat dominus Coloniensis: *Ita retine amodo locum regium, quem non iure hereditario nec paterna successione, sed principum seu electorum in regno Alemanie tibi noscas delegatum, maxime per auctoritatem Dei omnipotentis, et tradicionem nostram presentem, et omnium episcoporum ceterorumque servorum Dei; et quanto clerum sacris altaribus propinquiores prospicis, tanto ei potiores in locis congruis honorem impendere memineris, quatinus mediator Dei et hominum te mediatorem cleri ac plebis in hoc regni solio confirmet, et in regno eterno secum regnare faciat Ihesus Christus dominus noster rex regum et dominus dominancium, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in secula seculorum. Amen.*

Hiis ita peractis, si regina in loco presens affuerit, ducatur ante altare coram domino Coloniensi. Et dominus Coloniensis super eam prostratam dicat hanc benedictionem. Oratio. *Omnipotens sempiternus Deus, fons et origo totius bonitatis, qui feminei sexus fragilitatem nequaquam reprobando adversaris, sed dignanter comprobando potius eligis, et qui infirma mundi eligendo forcia queque confundere decrevisti, quique etiam gloriam virtutis tue, qua triumphum in manu Iudith, femine olim Iudaice, plebi de hoste sevissimo resignare voluisti, respice quesumus ad preces humilitatis nostre, et super hanc famulam tuam N. quam supplici devocione in reginam eligimus, benedictionum tuarum dona multiplicata, eamque dextra tue potencie semper et ubique circumda, ut in lumine muniminis tui undique firmiter protecta, visibilis seu invisibilis hostis nequicias triumphabiliter expugnare valeat et una cum Sara atque Rebecca, Lya atque Racheele, beatisque et reverendis feminis, fructu uteri sui fecundari, seu gratulari mereatur, ad decorem totius regni, statumque ecclesie Dei regendum. Per.*

Hic proiciat se regina per modum crucis in longum ante dominum Coloniensem, et ipse dominus Coloniensis iterum hanc benedictionem dicat super eam: *Deus, qui solus habes immortalitatem, lucemque habitas inaccessibleem,*

*cuius providencia in sui dispositione non fallitur; qui fecisti que factura sunt, et notas ea que non sunt, tanquam ea que sunt; qui superbos equo moderamine de principatu deicis, atque humiles designanter in sublime provehis: ineffabilem misericordiam tuam supplices exoramus, ut sicut Hester reginam Israhelis, causa salutis de captivitate sue compe de solutam, ad regis Assueri thalamum regnique sui consortium transire fecisti, ita hanc famulam tuam N. humilitatis benedictione, christiane plebis gracia salutis, ad dignam sublimemque regis nostri copulam, et regni sui participium misericorditer transire concedas. Et ut in regalis federe coniugii semper manens pudica, proximam virginitatis palmam continere queat, tibi que Deo vivo et vero, in omnibus et super omnia iugiter placere desideret, et te inspirante, que tibi placita sunt, toto corde perficiat. Per.*

Hic detegatur pectus regine per dominas pedissequas suas, et dominus Coloniensis circa precordia pectoris de oleo sancto ungat eam dicens: *Spiritus sancti gracia humilitatis nostre officio in te copiosa descendat, ut sicut manibus nostris indignis oleo materiali obluta pinguescis exterius, ita eius invisibili unguine delibuta, impinguari merearis interius, eiusque spirituali unctione perfectissime semper imbuta, et illicita declinare tota mente et spernere discas seu valeas et utilia anime tue iugiter cogitare, optare, atque operari queas, auxiliante domino nostro Ihesu Christo, qui cum Patre et eodem Spiritu vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Clerus: Amen.*

Hic dominus Coloniensis, Maguntinensis et Treverensis pariter superponant ad caput ipsius regine et dicat: *Officio indignitatis nostre seu congregacionis in reginam benedictam, accipe coronam regalis excellencie, que licet ab indignis, episcoporum manibus tamen, capiti tuo imponitur. Unde, sicut exterius auro et gemmis redimita enites, ita et interius auro sapiencie virtutumque gemmis decorari contendas, quatinus post occasum huius seculi, cum prudentibus virginibus, sponso domino nostro Ihesu Christo digne ac laudabiliter occurrens, regiam celestis aule merearis ingredi ianuam, auxiliante eodem domino nostro Ihesu Christo; qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per infinita secula seculorum. Clerus: Amen.*

Hiis dictis, accedant caplani regine et detergant pectus suum de oleo sacro cum lana munda et alba, et postea pedisseque regine ipsam reinduant; quo facto, ducatur

iuxta regem, et sedeat in latere suo sinistro ut prius, clero cantante ad finem: *Te Deum laudamus etc.*

Hiis omnibus ita peractis, legatur euangelium secundum Matheum: *Cum natus esset Iesus in Bethleem Iude, in diebus Herodis regis, ecce magi ab Oriente venerunt Iherosolimam, dicentes: Ubi est qui natus est rex Iudeorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente, et venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex, turbatus est, et omnis Iherosolima cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur? At illi dixerunt: In Bethleem Iude; sic enim scriptum est per prophetam: Et tu Bethleem, terra nequaquam minima es in principibus Iuda; ex te enim eriet dux, qui regat populum meum Israel. Tunc Herodes, clam vocatis magis, diligenter didicit ab eis tempus stelle que apparuit eis; et mittens eos Bethleem dixit: Ite et interrogate diligenter de puero hoc; cum inveneritis, renunciate michi, ut et ego veniens adorem eum. Qui cum audissent regem, abierunt. Et ecce stella quam viderant in Oriente, antecedebat eos usque dum veniens staret supra ubi erat puer. Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre eius. Et procidentes, adoraverunt eum. Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrram. Et responso accepto in sompnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.*

Credo dicitur. Offertorium. *Reges Tharsis et Insule munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent, et adorabunt eum omnes reges terre; omnes gentes servient ei, alleluja.*

Dominus rex sceptrum in manu tenens offerat, deinde regina; postea domini principes, primo domini Maguntinensis et Treverensis archiepiscopi, et postea alii principes electores secundum gradum et officium suum. Secreta. *Ecclesie tue, quesumus Domine, dona propicius intueri, quibus iam non aurum thus et myrra profertur, sed quod eisdem muneribus declaratur, immolatur et sumitur Ihesus Christus filius tuus, dominus noster. Alia. Concede quesumus omnipotens Deus hiis salutaribus sacrificiis placatus, ut famulus tuus N. ad peragendum regalis officium dignitatis, inveniatur semper ydoneus, et celesti patrie reddatur acceptus. Per dominum.*

Procedatur in missa usque ad illum locum: *Et pax eius. Ubi dyaconus conversus ad populum dicat: Humiliate vos ad benedictionem. Clerus: Deo gratias. Dominus Coloniensis: Benedicat tibi Dominus custodiatque te, et sicut te voluit super populum suum esse regem, ita in presenti seculo felicem et eterne felicitatis tribuat esse consortem. — Assistentes: Amen. — Clerum ac populum quem sua voluit opitulacione in tua sanctione congregari, sua dispensacione et tua amministratione per diuturna tempora faciat feliciter gubernari. — Amen. — Quatinus divinis monitis parentes, adversitatibus carentes, bonis omnibus exuberantes, et in presenti seculo tranquillitate fruantur, et tecum eternorum civium consorcio potiri mereantur. — Amen. — Quod ipse prestare dignetur, cuius regnum et imperium sine fine permanet per secula seculorum. — Amen. — Benedictio Dei Patris omnipotentis et Filii et Spiritus sancti et pax Dei sit semper vobiscum. Communio. Vidimus stellam eius in Oriente et venimus cum muneribus adorare Dominum.*

Completorium. *Presta quesumus omnipotens Deus, ut quod solempni celebramus officio, purificate mentis intelligentia consequamur.*

Alia. *Hec Domine salutaris sacrificii perceptio, famuli tui maculas diluat, et ad regendum secundum tuam voluntatem populum ydoneum illum reddat; in hoc salutari ministerio contra visibiles et invisibiles hostes scuto tue protectionis reddatur invictus, per quod mundus est divina dispensacione redemptus. Per dominum.*

Completo officio misse, si aliqua specialia negocia regni pro illa hora consueta tractanda sint, tractentur.

b) Coronatio Mediolanensis.<sup>1</sup>

MG. Leges II 504—509.

[Erweiterung der Formel der Kölner Handschrift Nr. 141 (Pontificale aus der Reimser Diözese aus dem Ende des 10. oder aus dem 11. Jahrhundert)<sup>2</sup>, G. Waitz, Die Formeln der deutschen Königs- und der römischen Kaiserkrönung vom 10. bis zum 12. Jahrhundert (Abhandlungen der königlichen Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. XVIII. 1873. S. 76.).]

Incipit ordo ad consecrandum regem. Veniant cum magna processione in palatium regis episcopi suffraganei

<sup>1</sup> A. Kröner, Wahl und Krönung der deutschen Kaiser und Könige in Italien. 1901.

<sup>2</sup> Die Formel weist starke Benutzung der angelsächsischen Krönungs-

episcopaliter parati, et chorus maiorum decenter adornatorum cum crucibus et incenso, ut mos est in solemnitatibus incedere. Et illi de centum cum primicerio, qui primicerius habeat pluvialem et baculum cum thuribulo et cruce. Ipsi vero habeant cottas albas.

Modus processionis talis est. Primo incedunt vegloni et veglone decenter ornati et ornate; secundo incedunt clerici de numero centum; tertio chorus ordinariorum cum suis officialibus; quarto incedunt episcopi suffraganei. Cum autem pervenerint ad palatium, ubi est rex, dicat unus episcoporum hanc orationem: *Dominus vobiscum. Respondent: Et cum spiritu tuo. Omnipotens sempiternus Deus, qui famulum tuum Henricum, regni fastigio dignatus es sublimare, tribue ei quaesumus, ut ita in huius seculi cursu cunctorum in communem salutem disponat, quatenus a tue veritatis tramite non recedat. Per Dominum etc.*

Postea suscipiant duo episcopi dextra levaque; clerici autem cantent responsorium: *Dirumpam vincula populi mei, dicit Dominus, et disperdam omnia mala, que induxi super eos, ut auferam universum dolorem a facie terre, et a civitate ista. Versus. Israel si me audieris, non erit in te Dominus recens, neque adorabis Dominum alienum.*

Deducitur rex ab ipsis episcopis cum processione usque ad ecclesiam beati Ambrosii, ducibus, marchionibus, nobilibusque cum populo ipsos episcopos et regem comitantibus, clericis autem canentibus psallendas: Antiphona prima. *Benedices coronam anni benignitatis tue, et campi tui replebuntur ubertate. Psalmus. Te decet hymnus Dominus in Sion, et tibi reddetur votum in Hierusalem.* Antiphona secunda. *Beatus homo Domine, quem erudieris, et de lege tua docueris eum.* Antiphona tertia. *Iocundus homo qui disponit sermones suos in iudicio, non movebitur in eternum.* Antiphona quarta. *In via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentie non sedit, sed in lege Domini fuit voluntas eius.* Antiphona quinta. *Erit iustus tanquam lignum fructiferum, quod plantatum est secus decursus aquarum.* Antiphona sexta. *Desiderabiliora sunt, Deus, mandata super aurum et lapidem pretiosum, et dulciora super mel et favum.* Antiphona septima. *Et si coram hominibus*

ordnung in dem Pontificale des Bischofs Egbert von York (732—766) (W. Schücking, Der Regierungsantritt. 1899. S. 199 ff.) und der fränkischen Krönungen von 869 und 877 (MG. Capitul. II 466, 461) auf.

*insecutus est, Deus tentavit illum, tamquam aurum in fornace probavit eum, et sicut holocausti hostias accepit illum.* Antiphona octava. *Dicit Dominus: super quem requiescam? super humilem et mansuetum, trementem verba mea.* Antiphona nona. *Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum, dicit Dominus. Confortare populum tuum, ne timeas, ecce dominus Deus tuus ante te, et non te derelinquet.* Antiphona decima. *Ecce mitto angelum meum, qui precedat te, et custodiat semper. Conserva, et audi vocem meam, et precedat te angelus meus.*

Ad hostium autem ecclesie clerus subsistat. Alter episcopus dicit orationem hanc. *Dominus vobiscum. Respondent. Et cum spiritu tuo. Deus qui scis genus humanum nulla virtute posse subsistere, concede propitius, ut famulus tuus Henricus, quem populo tuo voluisti preferri, ita tuo fulciatur adiutorio, quatenus quibus potuit preesse, valeat et prodesse. Per Dominum etc.*

Introgredi autem decantent clerici antiphonam: *In virtute tua Domine letabitur rex, et super salutare tuum exultavit vehementer. Desiderium anime eius tribuisti ei Domine.* Usque ad introitum chori. Illis autem subsistentibus, dicat dominus archiepiscopus: *Dominus vobiscum. Omnipotens sempiternus Deus, celestium terrestriumque moderator, qui famulum tuum Henricum ad etc.* vgl. Heft I Nr. 37 S. 69.

Cantent clerici antiphonam post *Kyrie cum Gloria. Exaltent eum in ecclesia plebis, et in cathedra seniorum laudent eum.*

Post hec inter manus episcoporum perductus in chorum, usque ad altaris gradum incedat, cunctoque pavimento tapetibus paleolisque contacto, ibi afferantur regalia, et deponantur coram altari. Tunc interrogetur ipse princeps a domino archiepiscopo per hunc modum: *Vultis sanctas Dei ecclesias ac rectores earum, nec non et cunctum populum sibi et vobis subiectum, iuste ac religiose regali providentia iuxta morem patrum defendere ac regere? Responsio regis: Profiteor, in quantum divino fultus adiutorio ac solatio omnium fidelium meorum valuero, ita me per omnia esse acturum.*

Dominus archiepiscopus coram omnibus addat legens: *A vobis perdonari petimus, ut unicuique de nobis et ecclesiis nobis commissis canonicum privilegium ac debitam legem atque iustitiam conservetis, ac defensionem exhibeatis,*

*sicut rex in suo regno unicuique episcopo et ecclesie sibi commisse per rectum exhibere debet.*

Deinde alloquantur duo episcopi populum in ecclesia, inquirentes eorum voluntatem, si tali principi ac rectori se subicere, ipsiusque regnum firma fide stabilire, atque iussionibus obtemperare velint, et si concordēs taliter sunt in consecratione, qualiter fuerint in electione, ac si concordēs invenerint, agant gratias Deo, et omnis plebs cantet *Kyrie eleison*. Post hec ante altare rex totus in cruce prostratus cum episcopis iaceat, et presbyteris desuper choro letanias agentibus. *Domine miserere, Domine miserere, Domine miserere, Christe libera nos, Salvator libera nos, Christe libera nos, Salvator libera nos, Christe libera nos, Salvator libera nos, sancta Maria, sancte Michael, sancte Gabriel, sancte Raphael, sancte Ioannes, sancte Petre, sancte Paule, sancte Andrea, sancte Thoma, sancte Luca, sancte Stephane, sancte Clemens, sancte Nazari, sancte Celse, sancte Protasi, sancte Gervasi, sancte Grisante, sancta Daria, sancte Pantaleon, sancte Ambrosi, sancte Satire, sancta Marcellina, sancta Candida, sancta Iustina, sancte Benedicte, omnes sancti, exaudi Christe, voces nostras, exaudi Christe, voces nostras, exaudi Christe, voces nostras, exaudi Deus, et miserere nobis, exaudi Deus, et miserere nobis, Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.*

Finitis litanis erigant se episcopi, et unus eorum dicat *Dominus vobiscum*. Respondent: *Et cum spiritu tuo. Te invocamus Domine sancte, Pater omnipotens eterne Deus, ut hunc famulum tuum Henricum, quem tue divine dispensationis providentia in primordio plasmatum usque in hunc presentem diem iuveni florentem crescere concessisti, cum tue pietatis dono ditatum, plenumque gratia veritatis, de die in diem coram Deo et hominibus ad meliora semper proficere facias, ut summi regiminis solium glorie superne largitate gaudens suscipiat, et misericordie tue muro ab hostium adversitate undique munitus, plebem sibi commissam cum pace propitiationis et virtute victoriae feliciter regere valeat. Per dominum etc.*

Tunc alius episcopus appropinquans, dicet hanc orationem: *Deus qui populis tuis virtute consulis, et amore dominaris, da huic famulo tuo spiritum sapientie cum regimine discipline, ut tibi toto corde devotus in regni regimine maneat semper ydoneus, tuoque munere ipsius*

*temporibus securitas et ecclesie dirigatur, et in tranquillitate devotio christiana permaneat, ut in bonis operibus perseverans, ad eternum regnum te duce valeat pervenire. Per dominum etc.*

Alius episcopus dicat: *In diebus eius oriatur omnibus equitas et iustitia, amicis adiutorium, inimicis obstaculum, humilibus solatium, elatis correptio, divitibus doctrina, pauperibus pietas, peregrinis pacificatio, propriis in patria pax, et securitas unicuique secundum suam mensuram; moderate gubernans se ipsum sedulus discat, ut tua irrigatus compunctione, toti populo tibi placita prebere vite possit exempla, et per viam veritatis cum grege gradiens sibi subdito, opes frugales abundanter acquirat, simul ad salutem non solum corporum sed etiam cordium a te concessa cuncta accipiat, sicque in te cogitatum animi consiliumque omne componens, plebis gubernacula cum pace simul ac sapientia semper invenire videatur, teque auxiliante presentis vite prolixitatem percipiat, et per tempora bona usque ad summam senectutem perveniat, huiusque fragilitatis finem perfectum, ab omnibus vitiorum vinculis tue pietatis largitate liberatus, et infinite prosperitatis premia perpetua angelorumque eterna commercia consequatur. Per dominum etc.*

Tunc consecrat eum metropolitanus in hec verba: *Omnipotens sempiterna Deus, creator et gubernator celi, et terre conditor, et dispositor angelorum et hominum, rex regum, et dominus dominantium, qui Abraham fidelem famulum tuum de hostibus triumphare fecisti, Moysi et Iosue tuo populo prelati multiplicem victoriam tribuisti, humilem quoque David puerum tuum regni fastigio sublimasti, eumque de ore leonis, et de manu bestie atque Golie, sed et de gladio maligno Saul et omnium inimicorum eius liberasti, et Salomonem sapientie pacisque ineffabili munere ditasti, respice propitius ad preces nostre humilitatis, et super hunc famulum tuum, quem supplici devotione in regnum pariter elegimus, benedictionum tuarum dona multiplicata, eumque dextera tue potentie semper ubique circumda, quatenus predicti Abrahe fidelitate firmatus, Moysi mansuetudine fretus, Iosue fortitudine munitus, David humilitate exaltatus, sapientia Salomonis decoratus, tibi in omnibus complaceat, et per tramitem iustitie inoffenso gressu semper incedat, et totius regni ecclesiam deinceps cum plebibus sibi annexis ita enutriet et doceat, munit et instruat,*

*contraque omnes visibiles et invisibiles hostes idem potenter regaliterque tua virtute regimen Italicorum administret, ut regale solatium videlicet Saxonum . . ., aliorumque populorum sibi subditorum sceptrum non deserat, sed ad pristinae fidei pacisque concordiam eorum animos te opitulante reformet, ut utrorumque horum populorum debita subiectione fultus, cum digno amore per longum vite spatium paterne apicem glorie tua miseratione unitum stabilire et gubernare mereatur; tue quoque protectionis galea munitus, et scuto insuperabili iugiter protectus, armisque celestibus circumdatus, optabilis victoriae triumphum de hostibus feliciter capiat, terrorem sue potentie infidelibus inferat, et pacem tibi militantibus letanter reportet; virtutibus nec non quibus prefatos fideles tuos decorasti multiplici honoris benedictione condecora, et in regimine regni sublimiter colloca, et oleo gratie Spiritus sancti perunge. Per Christum dominum nostrum etc.*

Hic ungetur rex a domino archiepiscopo in modum crucis in spatulis de oleo exorcizato, et cantent clerici antiphonam: *Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus dominus tuus oleo letitiae pre consortibus tuis.* Alia antiphona. *Unxerunt Salomonem Sadoch sacerdos, et Nathan propheta regem in Geon, et ambulantes leti dixerunt: Vivat rex in eternum.*

Qua finita, prosequatur dominus archiepiscopus: *Unde unxisti sacerdotes reges et prophetas, et martyres, qui per fidem vicerunt regna, et operati sunt iustitiam, atque adepti sunt promissiones; cuius sacratissima unctio super eum effluat, atque in interiora descendat, et cordis illius intima penetret, et promissionibus, quas adepti sunt victoriosissimi reges gratia tua, dignus efficiatur, quatenus et in presenti seculo feliciter regnet, et ad eorum consortium in celesti regno perveniat. Per dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui unctus est oleo letitiae pre consortibus suis, et virtute crucis ereas potestates debellavit, tartarea destruxit, regnumque diaboli superavit, et ad celos victor ascendit, in cuius manu victoria omnis, gloria et potestas consistunt, et tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum. Amen.*

Post unctionem: *Deus Dei filius Iesus Christus etc.* vgl. Heft I S. 73.

Hic detur ei anulus a metropolitano: *Accipe regie dignitatis anulum, et per hunc catholice fidei in te cognosce*

*signaculum, quia ut hodie ordinarius caput ac princeps regni ac populi, ita perseverabilis auctor ac stabilitor christianitatis et christiane fidei, et per hunc scias triumphali potentia hostes repellere, hereses destruere, subditos coadunare, et connecti perseverabilitati fidei catholice, ut felix in opere, locuples in fide, cum Rege regum glorieris in eternitate per eum, cui est honor et gloria per infinita secula seculorum.*

Sequitur oratio: *Deus cuius est etc.* (= oratio post anulum datum des Cencius II, Heft I S. 85).

Postea ab episcopis ense accipiat, dicente metropolitano: *Accipe gladium etc.* (= Coronatio Aquisgranensis, Nr. 25 a).

Quo accincto sequitur oratio: *Deus qui providentia etc.* (= oratio post gladium des Cencius II, Heft I S. 85).

Post hec dominus archiepiscopus coronam capiti regis cum episcopis suis imponat, et dicat: *Accipe coronam regni etc.* (= Coronatio Aquisgranensis Nr. 25 a).

Sequitur oratio: *Deus perpetuitatis, lux virtutum, cunctorum hostium victor, benedic hunc famulum tuum tibi caput suum inclinantem, et proluxa sanitate et prospera cum felicitate conserva, et ubicumque, vel pro quibuscumque auxilium tuum invocaverit, cito adsis, et protegas, ac defendas; tribue, quesumus Domine, ei divitias gratie tue, comple in bonis desiderium eius, corona eum miseratione et misericordia, ut tibi Domino patri pia devotione iugiter famuletur.*

Hic detur ei sceptrum. *Accipe sceptrum etc.* (= Cencius II, Heft I S. 86).

Oratio sequitur: *Omnium Domine fons etc.* (= Cencius II, Heft I S. 86).

Tunc detur ei virga: *Accipe virgam virtutis etc.* (= Coronatio Aquisgranensis Nr. 25 a).

Tunc benedicat eum archiepiscopus dicendo: *Extendat omnipotens Deus dexteram sue benedictionis, et effundat super te donum sue protectionis, et circumdet muro felicitatis ac custodiae sue propitiationis, sancte Marie, et beati Petri apostolorum principis, sanctique Ambrosii, atque omnium sanctorum intercedentibus meritis. Amen. Al. Victoriosum te, atque triumphatorem de invisibilibus atque visibilibus hostibus semper efficiat, et sancti nominis sui timorem pariter et amorem continuo cordi tuo infundat, et in fide*

*recta ac bonis operibus perseverabilem reddat, et pace in diebus tuis concessa cum palma victoria te ad perpetuum regnum perducatur. Amen. Al. Benedic Domine hunc regem nostrum, qui regna omnium moderaris a seculo, et tali eum benedictione glorifica, ut Davitice teneat sublimitatis sceptrum, et glorificatus in eius protinus reperiat meritum. Amen. Al. Honorifica eum pre cunctis regibus gentium, felix in populo dominetur, et feliciter eum omnes nationes adorent, vivat inter gentium catervas magnanimus, sit in iudiciis equitatis singularis. Amen. Al. Presta ei prolixitatem vite per tempora, et in diebus eius oriatur iustitia, a te robustum regiminis solium teneat, et in eterno regno glorietur cum iucunditate et iustitia. Amen. Quod ipse prestare etc.]*

Deinde coronatus honorifice deducatur ad solium, et accipiat stationem a domino archiepiscopo dicente sic: *Sta, et retine amodo locum, quem hucusque paterna successione tenuisti, hereditario iure tibi delegatum per auctoritatem Dei omnipotentis, et per presentem traditionem nostram, omnium scilicet episcoporum, ceterorumque Dei servorum, et quanto clerum sacris altaribus propinquiores perspicias, tanto potiores in locis congruis honorem impendere memineris, quatenus mediator Dei et hominum te mediatorem cleri et plebis in hoc regni solio confirmet, et in regnum eternum secum regnare faciat Iesus Christus dominus noster, rex regum, et dominus dominantium, qui cum Deo etc.*

Post hec detur sibi pomum aureum cum cruce et dicantur hec verba: *Accipe pomum aureum, quod significat monarchiam omnium regnorum, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.*

Et dicat dominus archiepiscopus omnibus audientibus: *Rectitudo regis et noviter ordinati et in solium sublimati, hec tria precepta populo christiano sibi subdito precipere. In primis ut ecclesia Dei et populus christianus veram pacem servet in omni tempore. Secundum est, ut rapacitates et omnes iniquitates omnibus gradibus interdicat. Tertium est, ut omnibus iudiciis equitatem et misericordiam precipiat, ut illi et nobis indulgeat suam misericordiam clemens et misericors Deus, qui cum etc.* Et dicat rex tertio: *Sic fiat.* Tunc det dominus archiepiscopus pacem regi, et rex det pacem omnibus, et clerici decantent alta voce: *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur etc.*

Ordo ad benedicendam reginam. Debet regina adduci in ecclesiam cum honore, et in ipso ingressu dicit dominus archiepiscopus hanc orationem: *Omnipotens sempiternus Deus etc.* (= Coronatio Aquisgranensis Nr. 25a) *nec non protegendum per Christum dominum nostrum, qui ex intemerato beate Virginis Marie utero nasci, visitare ac revocare dignatus est mundum. Qui tecum vivit et gloriatur Deus in unitate Spiritus sancti per immortalia secula.*

Tunc intret ecclesiam et prosternat se ante altare ad orationem, et post pusillum ab episcopis elevata inclinet caput suum et archiepiscopus consecret eam hoc modo: *Deus qui solus etc.* (= Coronatio Aquisgranensis Nr. 25a).

Tunc super scapulas eius fundat dominus archiepiscopus oleum sanctum ad modum crucis et dicat hec verba: *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, prosit tibi hec unctio olei in honorem et consecrationem eternam. Sequitur oratio. Sancti Spiritus gratia etc.* (= Coronatio Aquisgranensis Nr. 25a).

Hic detur ei anulus. *Accipe anulum fidei signaculum sancte Trinitatis, quo possis omnes pravitates hereticas devitare, et barbaras gentes virtute tibi prestata ad agnitionem veritatis vocare. Per. Omnium fons bonorum Domine, et cunctorum dator proventuum, tribue famule tue adeptam bene regere dignitatem, et a te sibi prestitam in ea bonis operibus corrobora gloriam. Per.* Hic coronetur dicendo: *Accipe coronam glorie, honorem iocunditatis, ut splendida fulgeas, et eterna exultatione coroneris. Per.* Sequitur. *Officio indignitatis etc.* (= Coronatio Aquisgranensis Nr. 25a).

Sequitur oratio ad complendum. *Omnipotens sempiternus Deus, affluentem spiritum tue benedictionis super famulam tuam nobis orantibus propitiatus infunde, ut que manus nostre impositione hodie regina efficitur, sanctificatione tua digna et electa permaneat, ut numquam postmodum de tua gratia separetur indigna. Per.*

Tunc dominus archiepiscopus missam celebret cum plena processione. Oratio super populum: *Deus, qui miro ordine universa disponis, et ineffabili gubernas presentia, quesumus, ut famulus tuus Henricus in huius seculi cursu implenda decernat, unde tibi in perpetuum placere valeat. Per etc.*

Epistola, et euangelium, responsorium in missa pro rege, et dicto euangelio rex offerat panem et vinum ad manus domni archiepiscopi.

Oratio super syndonem: *Omnipotens sempiternus Deus, qui de plebe tua regni fastigio famulum tuum Henricum dignatus es sublimare, fac eum humilitatis, iustitiae ceterarumque virtutum bono exuberare, ut a tue veritatis tramite non recedat, et ad te, qui vita es, gratosus perveniat. Per etc.*

Super oblationem; *Concede quesumus omnipotens Deus, huius sacrificiis salutaribus placatus, ut famulus tuus Henricus ad peragendum regalis dignitatis officium inveniatur semper idoneus, et celesti patrie reddatur acceptus. Per Dominum etc.*

Prefatium: *Eterne Deus, qui es auctor totius bonitatis, regum consecrator, honorum omnium attributor, dignitatumque largitor, cuius ineffabilem clementiam votis omnibus exoramus, ut famulum tuum Henricum, quem regalis glorie culmine voluisti sublimari, sapientiae ceterarumque virtutum ornamentis facias decorari, et quia tui est muneris, quod imperat, tue sit pietatis, quod id feliciter agat, quatenus de visibilibus et invisibilibus hostibus triumphator effectus, et transitorii regni gubernacula inculpabiliter teneat, et ad eterni regni infinita gaudia et miserante perveniat. Per Dominum etc.*

Benedictio archipresulis: *Benedicat tibi Dominus, custodiatque te, et sicut voluit te super populum suum esse regem, ita in presenti seculo felicem, et eterne felicitatis tribuat esse consortem. Clerum et populum, quem sua voluit opitulatione in tua sanctione congregari, sua dispensatione et tua administratione per diuturna tempora faciat feliciter gubernari. Amen. Quatenus divinis monitis parentes, adversitatibus carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo imperio fideli amore obsequentes, et in presenti seculo tranquillitate fruantur, et tecum eternorum civium consortio potiri mereantur. Amen. Quod ipse prestare etc.*

Post communionem: *Hec Domine salutaris sacrificii perceptio famuli tui Henrici peccatorum maculas diluat, et ad regendum secundum tuam voluntatem populum tuum idoneum reddat, ut hoc salutari mysterio contra visibiles atque invisibiles hostes reddatur invictus, per quod mundus est divina dispensatione redemptus. Per dominum etc.*

Et finita missa rex communicetur, et sic ait: *Deo gratias.*

c) Ordo coronationis imperatoris.

MG. Const. IV 609.<sup>1</sup>

Cum rex in imperatorem electus pervenerit ad portam Collinam, que est iuxta castellum Crescentii, recipiatur honorifice a clero Urbis cum crucibus et turribus et processionaliter deducatur usque ad gradus basilice sancti Petri, cantantibus universis: „Ecce mitto angelum meum etc.“, camerariis eius missilia spargentibus ante ipsum et p[re]fecto Urbi]s gladium preferente. Cum autem pervenerit ante basilicam in plateam, que cortina vocatur, destrandus est a senatoribus usque ad gradus predictos, ubi eo descendente tradendus est equus, cui rex insederat, illis. Interim summus pontifex cum omnibus ordinibus suis preparet se in secretario tamquam celebraturus divina et processionaliter exiens usque ad [suggestum] aree superioris, que est in capite graduum super faldestorium, ibi sedeat, considentibus super gradus a parte dextera episcopis et presbiteris, a sinistra vero diaconis cardinalibus et in proximiori gradu subdiaconis et acolitis, primicerio et cantoribus astantibus circa illos cum magnatibus et nobilibus, officialibus et ministerialibus aule papalis. Tunc rex cum [archi] episcopis et episcopis, principibus et magnatibus suis ascendens ad summum pontificem reverenter osculetur pedes ipsius<sup>2</sup> et offerens ei aureum, quantum sibi placuerit, benigne recipiatur ab eo ad osculum et amplexum. Quo demum surgente rex ipse a parte dextera ac prior diaconorum a parte sinistra deducant eum usque in ecclesiam sancte Marie in Turribus, ubi [ant]e altare, subdiacono evangelii textum tenente, rex super illum corporaliter prestet huiusmodi iuramentum:

„Ego Henricus rex Romanorum futurus annuente Domino imperator promitto, spondeo et polliceor, coram Deo et beato Petro, me de cetero protectorem et defensorem fore summi pontificis et sancte Romane ecclesie in omnibus necessitatibus et utilitatibus suis, custodiendo et conservando possessiones, honores et iura eius, quantum divino fultus

<sup>1</sup> J. Schwarzer, Die Ordines der Kaiserkrönung, Forschungen zur deutschen Geschichte 22. (1882), 159 ff. A. Diemand, Das Zeremoniell der Kaiserkrönungen von Otto I. bis Friedrich II. 1894. E. Eichmann, Die Ordines der Kaiserkrönung, Savigny-Zeitschrift für Rechtsgeschichte, kanonist. Abteilung II 1 ff.; W. Scheffler, Repertorium für Kunstwissenschaft XXXIII 515 ff.

<sup>2</sup> Dictatus Papae n. 9: Quod solius papae pedes omnes principes deosculentur.

adiutorio fuero, secundum scire et posse meum recta et pura fide. Sic me Deus adiuvet et hec sancta etc.“

Deinde summus pontifex cum ordinibus suis ad altare procedit et facta ibi oratione ad sedem ascendit, rege cum suis et tribus episcopis, videlicet Ostiensi et Portuensi et Albanensi, in ecclesia sancte Marie in Turribus remanente, ubi a canonicis Sancti Petri receptus in fratrem<sup>1</sup> imperialibus induatur insignibus,<sup>2</sup> dato ipsius pallio camerario domini pape. Qui precedentibus illis canonicis et cantantibus: „Petre amas me etc.“, cum ad hostium basilice principis apostolorum pervenerit, que porta argentea nuncupatur, deducunt eum hinc inde comite Lateranensis palatii et primicerio iudicum Romanorum, Albanensis episcopus ante ipsam portam argenteam hanc super eum benedictionem effundat: „Deus in cuius manu corda sunt regum etc.“<sup>3</sup> Cum autem intra ecclesiam in medio rote pervenerit, Portuensis episcopus hanc orationem super eum decantet: „Deus inerrabilis auctor mundi etc.“<sup>4</sup> Qui cum ad confessionem beati Petri pervenerit, prosternat se pronus in terram et prior diaconorum super eam faciat letaniam. Qua finita prior presbiterorum dicat orationem dominicam cum capitulis istis: „Salvum fac servum tuum Domine“, „Mitte ei auxilium de sancto“, „Domine salvum fac regem“. Ac deinde dicat orationem istam: „Actiones nostras quesumus Domine etc.“ Post hec procedat ad altare sancti Mauritii, ubi Ostiensis episcopus ungat ei de oleo exorcizato brachium dextrum et inter scapulas, hanc orationem dicendo: „Domine Deus omnipotens, cuius est omnis potestas etc.“<sup>5</sup> Item aliam orationem dicat: „Deus Dei filius Ihesus Christus etc.“<sup>6</sup> Hiis ita peractis ascendit rex ad altare beati Petri, ubi summus pontifex facta confessione recipiat eum ad osculum sicut unum ex diaconibus ipseque precedat ad pulpitem vel ambonem, ubi thalamus constructus de lignis et ornatus de palliis debet ei esse paratus, cum suis archiepiscopis et episcopis, principibus et magnatibus secundum capacitatem loci consistat. Primitius autem et scola cantorum in choro ante altare decantent introitum et post kyrieleyson et ymnum angelicum decantatum summus pontifex dicit orationem, que competit illi diei, et hanc orationem pro ipso imperatore: „Deus

<sup>1</sup> Vgl. Nr. 27.  
<sup>4</sup> Heft I S. 70.

<sup>2</sup> Vgl. Nr. 25 e.  
<sup>5</sup> Heft I S. 84.

<sup>3</sup> Heft I S. 80.  
<sup>6</sup> Heft I S. 73.

regnorum omnium etc.“. Item aliam orationem<sup>1</sup>: „Suscipe Domine preces etc.“. Item aliam orationem<sup>2</sup>: „Deus qui ad predicandum etc.“. Cumque lecta fuerit epistola et graduale decantatum, imperator ascendat processionaliter ad altare, ubi summus pontifex imponit ei mitram clericalem in capite ac super mitram imperatorium diadema,<sup>3</sup> dicens: „Accipe signum glorie etc.“<sup>4</sup> „Deinde sceptrum et pomum aureum tradit ei et post cetera gladium, ita dicens: „Accipe gladium ad vindictam etc.“. Qui coronatus incedens portet in dextra manu pomum, in sinistra sceptrum et sic ad thalamum redeat. Ipsoque ibi cum principibus suis consistente, prior subdiaconorum cum subdiaconibus Romane curie et capellanis aule imperialis ad pectorale dextrum ante crucifixum argenteum laudem imperatori alta voce decantet hoc modo: „Exaudi Christe“. Scriniarii vero Urbis serecis capis induti ante pectorale consistentes in choro respondeant: „Domino Henrico invictissimo Romanorum imperatori et semper augusto salus et victoria“. Qua laude tertio repetita prior subdiaconorum cum suis tribus vicibus dicat: „Salvator mundi“. Et scriniarii vicissim respondeant: „Tu illum adiuva“. Deinde iste cum suis duabus vicibus dicat: „Sancta Maria“. Et illi vicissim respondeant: „Tu illum adiuva“. Et sic deinceps: „Sancte Michael“, „Sancte Gabriel“, „Sancte Raphael“, „Sancte Iohannes Baptista“, „Sancte Petre“, „Sancte Paule“, „Sancte Andrea“, „Sancte Stephane“, „Sancte Laurenti“, „Sancte Vincenti“, „Sancte Silvester“, „Sancte Leo“, „Sancte Gregori“, „Sancte Benedicte“, „Sancte Basili“, „Sancte Saba“. „Tu sancta Agnes“, „Sancta Cecilia“, „Sancta Lucia“. Quibus finitis isti bis dicant: „Kyrieleyson“ et illi vicissim respondeant: „Christeleyson“ ac deinde simul omnes: „Kyrieleyson“. Post hec euangelio decantato imperator corona et manto depositis accedat ad summum pontificem et offerat ad pedes eius aurum, quantum sibi placuerit. Ipsoque pontifice descendente pro perficiendis missarum misteriis ad altare, imperator more subdiaconi offerat ei calicem et ampullam et stet ibi, donec pontifex ad sedem reversus

<sup>1</sup> Secreta.

<sup>2</sup> Postcommunio.

<sup>3</sup> Über die Reichsinsignien vgl. F. Bock, Die Kleinodien des heil. röm. Reichs deutscher Nation 1864; Werminghoff, Verfassungsgeschichte S. 45 A. 4.

<sup>4</sup> Die Übergabeformeln und Gebete sind die des Cencius II, Heft I Nr. 39.

communicet sacramque communionem de manu eius suscipiat cum osculo pacis, et sic ad thalamum rediens in ambone resumat mantum pariter et coronam. Missaque finita pontificalem benedictionem reverenter accipiat et statim procedat ad locum, ubi debet summus pontifex equitare, ut cum ipse pontifex equum ascenderit, teneat stapedium selle eius et arrepto freno aliquantulum ipsum adextret. Moxque suum equum ascendens procedat iuxta summum pontificem usque ad ecclesiam sancte Marie in Traspadina, ubi dato sibi osculo ad invicem non corde, sed corpore separentur.

Si vero regina fuerit coronanda,<sup>1</sup> debet super lectorium ex opposito thalamus preparari, ubi cum duabus ad minus puellis et aliquibus ex principibus imperii tam ecclesiasticis quam mundanis resideat, et post coronationem imperatoris deducatur ad altare ante summum pontificem amictu regalibus indumentis. Cui summus pontifex mitram imponat, ita quod cornua mitre sint a dextris et a sinistris, et super mitram imponat coronam, ita dicendo: „Accipe coronam imperialis excellentie etc.“ Coronata vero regina reducatur ad thalamum. Et post euangelium ducatur ad oblationem summo pontifici exhibendam stetque in gradibus iuxta absidam versus altare sancti Leonis, donec de manu summi pontificis post imperatorem sacram communionem accipiat, et tunc ad thalamum reducta permaneat usque ad finem misse.

Consuevit autem imperator larga presbiteria omnibus ordinibus exhibere, quibus ea, cum coronatur, summus pontifex elargitur, videlicet episcopis, presbyteris et diaconis cardinalibus, primicerio et cantoribus, subdiaconis, basilicariis et regionariis et universitati cleri Romani, capellanis et ceteris officialibus et ministerialibus curie, prefecto Urbis, senatoribus, iudicibus, advocatis et scriuariis ac prefectis navalium. Consuevit etiam rex, quando descendit de monte Gaudii et venit ad ponticellum, prestare hoc iuramentum Romanis:

„Ego Henricus rex futurus imperator iuro me servaturum Romanis bonas consuetudines suas. Sic me Deus adiuvet et hec sancta etc.“

<sup>1</sup> P. Krull, Die Salbung und Krönung der deutschen Königinnen und Kaiserinnen im Mittelalter. 1911.

d) Bericht über Friedrichs I. Kaiserkrönung am 18. Juni 1155. Boso, Vita Hadriani IV., Watterich, Pontificum Roman. vitae II 328.

. . . ante horam tertiam rex ad gradus beati Petri armatorum maxima multitudine stipatus accessit, ibique depositis vestibus, quas gerebat, solempniori habitu se induit et ad ecclesiam beatae Mariae in Turri, in qua eum ante altare Pontifex expectabat, ascendens, genua sua fixit coram eo et manus suas inter ipsius Pontificis manus imponens, consuetam professionem et plenariam securitatem, secundum quod in ordine continetur, publice exhibuit sibi. Relicto autem ibidem rege, Pontifex ad beati Petri altare conscendit, cuius vestigia rex cum processione subsequens, ante portas argenteas orationem primam ab uno episcoporum nostrorum suscepit; et secundam infra ecclesiam in rota super eundem regem alius ex episcopis nostris dedit; orationem vero tertiam et unctionem tertius episcopus ante confessionem beati Petri(?)<sup>1</sup> eidem regi nihilominus contulit. Missa itaque incepta et graduali post epistolam decantato, rex ad Pontificem coronandus accessit et, praesentatis imperialibus signis, gladium et sceptrum atque imperii coronam de manibus eiusdem Papae suscepit. Statim tam vehemens et fortis Teutonicorum conclamatio in vocem laudis et laetitiae concrepuit, ut horribile tonitruum crederetur de coelis subito cecidisse.

e) Thomassinus, Vetus et nova ecclesiae disciplina I 2 c. 52.

Nec illud praeteribit nos, retinuisse Germanos Imperatores pium illum usum: ut indumentis utantur imperatoris, quae eadem ipsa sunt, atque diaconorum: atque ita intersint pervigilio et nocturnis officiis natalis Christi, septimamque in vicem diaconi decantent lectionem.

f) Durandus, Rationale divinorum officiorum II 8 n. 6.

Canon Adriani Papae 63 dist. Valentinianus in fine<sup>2</sup> videtur innuere, quod Imperator debet ordinem Subdia-

<sup>1</sup> Petrus Mallius (Acta Sanctorum Iunii VII 39): altare S. Mauricii martyris, ad quod scilicet altare de antiqua consuetudine Romanorum imperator a Dominis episcopis cardinalibus benedicitur et ungitur, ad altare vero maius beati Petri a Domino Papa benedicitur et coronatur, et de sacrosancto altari eius per manus Romani Pontificis ad defendendam ecclesiam gladium accipit. ibd. p. 43: Praecepit quoque (Gregorius I), ut ad altare maius B. Petri nulla consecratio fieret nisi Romani Pontificis. Vgl. P. Kehr, Reg. Rom. Pont. Italia Pont. I p. 136 n. 6.

<sup>2</sup> = c. 3 D. 63.

conatus habere, ubi dicitur: adiutor et defensor tuus, ut meum ordinem decet, semper existam. Sed non est ita; gerit tamen illud officium, quoniam in die ordinationis suae receptus primo in canonicum a canonicis sancti Petri ministrat Domino Papae in missa in officio subdiaconatus parando calicem et huiusmodi faciendo. Quidam etiam dicunt ut not. de rer. div. l. sancta<sup>1</sup> quod sit presbyter, iuxta illud: cuius merito quis nos sacerdotes appellat. Imperator etiam pontifex dictus est.

## 2. Belehnung mit den Mathildischen Gütern.

Nr. 26.

*Privileg Innocenz II. für Lothar III. vom 8. Juni 1133  
betr. die Mathildischen Güter.*

MG. Const. I 169.

... Cum ergo testante sacro eloquio etiam mali patres dona data suis filiis noverint impertiri, dignum profecto est, ut nos qui disponente Domino universis catholice ecclesie filiis debemus sollicitudine paterna consulere, personam tuam artius diligamus et tamquam specialissimo ecclesie defensori in his, que ad statum imperii in suo robore conservandum et utilitatem ac liberationem catholice ecclesie spectare noscuntur, tam secundum ecclesiasticum officium quam temporaliter imperatoriam potentiam augeamus. Hoc nimirum intuitu allodium bone memorie comitisse Matilde, quod utique ab ea beato Petro constat esse collatum, vobis committimus et ex apostolice sedis dispensatione concedimus atque in presentia fratrum nostrorum, archiepiscoporum, episcoporum, abbatum necnon principum et baronum per anulum investimus, ita videlicet ut centum libras argenti singulis annis nobis et successoribus nostris exolvat et post tuum obitum proprietate ad ius et dominium sancte Romane ecclesie cum integritate absque diminutione ac molestia revertatur. Quod si nos vel fratres nostros in eandem terram venire, manere vel

<sup>1</sup> = l. 1 D. 1, 1. Glosse zu l. 9 D. 1, 8. v. dedicavit: proprie potest poni, quia olim imperatores sacerdotes erant.

transire oportuerit, tam in susceptione quam in procuracione atque securo conductu prout apostolicam sedem decuerit honoremur. Qui vero arces tenuerint vel rector terre fuerit, beato Petro et nobis nostrisque successoribus fidelitatem faciant.

Ceterum pro caritate vestra nobili viro Henrico Bavarie duci genero vestro et filie vestre . . . uxori eius eandem terram cum prefato censu et supradictis conditionibus apostolica benignitate concedimus, ita tamen ut idem dux nobis hominum faciat et fidelitatem beato Petro ac nobis nostrisque successoribus iuret. Post quorum obitum predictum comitisse Matilde allodium ad ius et dominium sancte Romane ecclesie, sicut supra dictum est, integrum et absque diminutione atque difficultate aliqua reducat. Salvo tamen semper in omnibus eiusdem sancte Romane ecclesie iure ac proprietate.

Datum Laterani VI. Idus Iun.

## 3. Der Kaiser canonicus von St. Peter.

Nr. 27.

*Kaiserliches Privileg für das Kapitel von St. Peter in Rom.  
Heinrich VI. 18. Oktober 1196.*

Scheffer-Boichorst, MÖG. IV. Ergänzungsband (1893) S. 97.

Henricus sextus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus et rex Siciliae.

Excellentiae nostrae benignitas, cum universis ecclesiis pacem quietam teneatur providere et liberalitatis suae impertiri beneficia, praecipue tamen ad augmentum et promotionem ecclesiae beati Petri principis apostolorum, in qua Christus dominus noster universalem ecclesiam fundari voluit, curam diligentem et operam efficacem intendit adhibere. Quapropter notum facimus universis imperii nostri fidelibus presentibus et futuris, quod nos pro reverentia beati Petri apostoli canonicis et ecclesiae beati Petri Romae, *ubi nos fraternitatem et canonicam habemus*, de imperiali benignitate damus et concedimus fodrum annuale, quod nostrae maiestati de castro Valeriano ipsius ecclesiae, quod situm est prope Viterbium, singulis annis debetur,

quod nuntii nostri consueverunt accipere. Statuimus igitur et districte praecipimus, ut nulla omnino persona nullusque nuntius noster predictam ecclesiam et canonicos in hac maiestatis nostrae concessione gravare audeat vel perturbare. Quod si quis attemptaverit, XXX libras auri pro pena componat, dimidium camerae nostrae et reliquam passis iniuriam. Ad cuius rei notitiam presentem paginam inde conscribi iussimus et maiestatis nostrae sigillo communiri.

Datum apud montem Flasconis anno domini 1196, indictione 15, 15 Kalendas Novembris.<sup>1</sup>

Vgl. Nr. 25 c S. 80.

#### 4. Servitium regis<sup>2</sup> der Reichskirchen.<sup>3</sup>

Nr. 28.

*Gesandtschaft Heinrichs VII. an den Patriarchen von Aquileia, 14. Juli 1310.*

MG. Const. IV 321.

Venerabili patri ac domino Ottobono patriarcho Aquilegensi Gerhardus et Sifridus Dei gratia Constantiensis et Curiensis ecclesiarum episcopi, Hugolinus de Vichio miles et Henricus de Ralvingo civis de Ast, ambassatores, nuntii et procuratores serenissimi domini Henrici Romanorum regis et imperatoris per Lombardiam, habentes hoc in mandatis ab eodem domino rege, denuntiationes et requestas fecerunt infrascriptas:

Item requisiverunt ex parte dicti domini imperatoris et mandaverunt, quod prefatus dominus patriarcha recipiat dictum dominum regem sive imperatorem ut dominum suum in temporalibus, eique obediat et intendat, prout

<sup>1</sup> Über die deutschen Könige als Dom- bzw. Stifftsherrn vgl. die bei Werminghoff, Verfassungsgeschichte S. 52 A. 1 verzeichnete Literatur.

<sup>2</sup> Werminghoff a. a. O. 57. Meister a. a. O. 97.

<sup>3</sup> Über den Unterschied von Reichs- und Mediatkirchen Werminghoff 56.

de iure tenetur, comitivam faciat, ipsumque associet iuxta decentiam regiae maiestatis et propriae bonitatis. Et quod preparet etiam in suis locis et castellis victualia, sicut decet.

Item mandaverunt, quod cum dominus rex sive imperator erit ex ista parte montium, veniat obviam dicto domino regi sive imperatori cum gentibus et armis, iuxta magnificentiam et secundum suam possibilitatem. Et quod ab ipso domino rege recipiat regalia.

. . . Item requisierunt ab eodem, quod preparet se ad faciendum eidem domino regi et imperatori servitia generalia vel specialia, si qua debet.

Vgl. Nr. 19h, i.

Über das Ledigwerden der Regalien vgl. Friedrich II. Privileg vom 26. April 1220 art. 10. Nr. 18b.

Über Spolien- und Regalienrecht vgl. Nr. 23. Regalisperrre Nr. 23h.

#### 5. Befreiung der Kleriker im Königsdienst von der Residenzpflicht.<sup>1</sup>

Nr. 29.

a) Friedrich II. 17. November 1217.

MG. Const. II 74.

. . . Devotionis et fidelitatis obsequia, que dilectus noster magister Nicolaus domini pape subdiaconus et vester canonicus nostre serenitati exhibuit, attendentes, ipsum in familiaritatem nostram plenarie recepimus et eum modis omnibus secundum ipsius honestatem intendimus honorare. Unde quia ipsum pro nostrorum promotione negotiorum plurimum habemus necessarium, rogamus dilectionem vestram, ut eum, quam diu fuerit nobiscum, ipsum absentem tanquam presentem reputetis, cum regalis sit iuris, unum

<sup>1</sup> Vgl. Synode von Frankfurt 794 c. 55, MG. Conc. II 171: Dixit etiam dominus rex in eadem synodum, ut a sede apostolica, id est ab Adriano pontifici, licentiam habuisse, ut Angilramnum archiepiscopum in suo palatio assidue haberet propter utilitates ecclesiasticas. Deprecatus est eadem synodum, ut eo modo, sicut Angilramnum habuerat, ita etiam Hildeboldum episcopum habere debuisset, quia et de eodem, sicut et de Angilramnum, apostolicam licentiam habebat. Omnis synodus consensit, et placuit eis eum in palatium esse debere propter utilitates ecclesiasticas.

de qualibet ecclesia cathedrali ad nostra obsequia posse assumere. Scituri quod ecclesiam vestram ipsius servitii et dilectionis intuitu efficaciter intendimus defendere et ad maiora pro posse promovere.

b) Albrecht I. 1298—1308.

MG. Const. IV 199.

Comitantur latus regium seu imperii serviciis fideliter militantes hanc ab antiquo gratiam meruerunt, quod ad residenciam personalem suorum beneficiorum cogi non debeant vel compelli, quippe cum eorundem absentia presencia potius debeat reputari, eo quod utilitas reipublice et honor regius ac proventus ex hiis proveniens mereatur specialiter utilitatem commodis anteponi. Hinc est quod sinceritatem tuam rogamus attente, quatinus A., quem nostrum exemptum clericum reputamus, inspecto iure, quod nobis et imperio [in] exemptis clericis competit, ad residendum in ecclesia sua compellere non presumas, maxime cum ipsa ecclesia per volentem et valentem ipsius nostri clerici vicarium sufficienter et salubriter officari debeat et curari.

## 6. Recht der ersten Bitten.<sup>1</sup>

Nr. 30.

a) Albrecht I. 28. August 1298.

MG. Const. IV 22.

Venerabilem Wicholdum Coloniensem archiepiscopum principem nostrum karissimum ob suae dignitatis praerogativam singulari honore prevenire cupientes, primarias preces nostras nobis apud vos in hac nova iocundaque creatione nostra competentes, eidem archiepiscopo ex liberalitate regia pro personis idoneis vice nostra concedimus porrigendas, devotioni vestrae auctoritate regia committentes, quatinus preces nostras antedictas vobis per eundem archiepiscopum dirigendas studeatis, qualibet difficultate cessante, grata promptitudine exaudire. Nam ipsas preces

<sup>1</sup> Werminghoff 54.

primarias non aliter quam per eum devotioni vestrae decrevimus porrigendas.

b) Heinrich VII. 17. Oktober 1312.

MG. Const. IV 888.

Henricus Dei gracia Romanorum imperator semper augustus honorabilibus viris . . . preposito, . . . decano et . . . capitulo ecclesie in Rynowe Argentin. dyoc., devotis suis dilectis gratiam suam et omne bonum.

Inelite recordacionis divorum imperatorum Romanorum illustrium, qui de iure necnon antiqua et approbata consuetudine in singulis tam katedralibus quam collegiatis necnon conventualibus ecclesiis sacri imperii super provisione unius persone habebant petere et cum promptitudine qualibet exaudiri, vestigiis inherentes, vobis pro discreto viro Cunrado clerico Basilien. dyoc., filio strennui viri Cunradi dicti de Wilgothein militis, primarias preces nostras duximus porrigendas. Devocionem vestram rogantes, requirentes et hortantes attente, quatinus eundem Cunradum, quem promoveri cupimus ex affectu, pro nostre imperialis coronacionis ac precum nostrarum primariarum et imperialium reverencia in vestrum et ecclesie vestre canonicum et confratrem recipere studeatis, de prebenda, si qua vobis vacat ad presens vel quam primum ad id se facultas obtulerit, sibi sine difficultate qualibet tam liberaliter provisuri, quod proinde vos et ecclesiam vestram propter observa(cionem) huiusmodi iuris nostri et imperii graciousius prosequentes, omnia iura vestra ac comodum et honorem, que vobis et dicte vestre ecclesie per imperatores vel reges Romanorum predecessores nostros concessa sunt et tradita, favorabiliter augeat et conservet imperialis excellencia maiestatis. Harum testimonio litterarum.

## 7. Exemption.

Nr. 31.

a) Sachsenspiegel III 57 § 1.

Zeumer a. a. O. 64.

Den Keyser ne mut der pabes noch neman bannen, seder der zit, daz her gewiet is, ane umme drie sache: ob

her an deme rechten gelouben zwivelit,<sup>1</sup> oder sin echte wiph lezt,<sup>2</sup> oder gotteshus zustoret.<sup>3</sup>

b) Schwabenspiegel, Landrecht Art. 128.

Zeumer a. a. O. 110.

Den keiser sol nieman bannen, wan der babest. Daz sol er niut wan umbe drie sache: daz eine ob er an dem gelouben zwivelt; daz ander ob er sin êwip varn lat; daz dritte ist ob er goteshusere zerstoeret. Diz ist sin recht, so er ze keiser gewihet wirt. Unde tuot er davor einem bischove iut oder einem andren herren, er sol ez aber dem phallenzgraven bi dem ersten clagen; der solz sinem erzbischove clagen, und der mag in mit rechte ouch wol bannen.

Vgl. auch die Glosse des Alanus, Nr. 10i.

<sup>1</sup> Heinrich IV. am 27. März 1076 an Gregor VII. MG. Const. I 110: Me quoque, qui licet indignus inter christos ad regnum sum unctus, tetigisti (Absetzung Heinrichs IV. durch Gregor 14./22. Februar 1076), quem sanctorum patrum traditio soli Deo iudicandum docuit nec pro aliquo crimine, nisi a fide quod absit exorbitaverim, deponendum asseruit. S. Thomas, S. Th. 2 II qu. 12 a. 2: Quam cito aliquis per sententiam denunciatur excommunicatus propter apostasiam a fide, ipso facto eius subditi sunt absoluti a dominio eius et iuramento fidelitatis, quo ei tenebantur.

<sup>2</sup> Sächsische Weltchronik c. 141, MG. Deutsche Chroniken II 154: Dit (Lothar) is de Keiser, den de paves Nicolaus to banne dede, wante he sin wif hadde gelaten unde ene andere genomen. Dit is de erste Keiser, de to banne ward gedan na Karles tit des groten. c. 322 (S. 228): De (Papst Hadrian IV.) dede den Keiser (Friedrich I.) to banne, dor dat he sin wif let unde ene andere nam. Bertholds Annalen a. 1077, MG. SS. V 296: Haribertum regem Francorum a sancto Germano Parisiorum episcopo ob libidinis flagitium non ignorent excommunicatum. Nicolaus papa Lotharium regem Francorum excommunicavit, eo quod repudiata legitima uxore sua, Waldradam concubinam habere praesumpserit. Vgl. Bernoldi chronicon a. 563, MG. SS. V 413 und a. 863 und 867 l. c. 420.

<sup>3</sup> Gregors VII. zweite Absetzungs- und Exkommunikationssentenz über Heinrich IV. vom 7. März 1080, MG. Const. I 557: ecclesias fecit dissipari et totum paene Teutonicorum regnum desolationi dedit. Brief Gregors VII. an Bischof Herrmann von Metz 15. März 1081, Jaffé, Bibl. rer. Germ. II 453: Quod autem postulasti, te quasi nostris scriptis iuvari ac praemuniri contra illorum insaniam, qui nefando ore garriunt: auctoritatem sanctae et apostolicae sedis non potuisse regem Henricum, hominem christianae legis contemptorem, ecclesiarum videlicet et imperii destructorem atque haereticorum auctorem et consentaneum, excommunicare, nec quemquam a sacramento fidelitatis eius absolvere, non adeo necessarium nobis videtur; cum huius rei tam multa ac certissima documenta in sacrarum scripturarum paginis reperiantur.

c) Sächsisches Weichbildrecht, B. von dem reiche und von der Sachsen rechte. a. 3 (= Art. IX der Weichbildvulgata).

E. Rosenstock, Ostfalens Rechtsliteratur unter Friedrich II. 1912. S. 45.

(Die fursten) wolden wissen, an welchem rechte das Reiche besten sulde und saczten dem kunige das recht mit rate: wenn er den stul zu Rome vorsteen sulde van Sente Peters halben mit dem werltlichen swerte, do er noch römisch foit von heisset; dorumb en mag er seinen leip nicht vorboren noch an seinen eren gekrencket werden, wenn mit dreien dingen, die ich euch sagen wil. Das eyne ist, ap er den stul zu Rome zu stören welde;<sup>1</sup> das ander ist, ap das eyne er den unglowben sterkte; das dritte ist, ap er sein elich weip liesse. Welcher diser drier dinge er obirwunden wirdt, so salde man obir in richten.

d) Aus einem Gedicht über die Absetzung Ottos IV.

G. G. Leibnitz, Scriptorum Brunsvicensia illustrantium II 1710 p. 525 ff., 530.

... Culpae

Non nisi tres causae debent anathematis esse  
Induperatori: coniux dimissa, minutus  
Imperialis honor, heresis. Dimissio sponsae  
Non accusat eum; non imperialis honoris  
Sectio; non heresis crimen. Non ergo ligari  
Nexu debuerat anathematis.

Zum rechtshistorischen Verständnis mögen folgende Stellen dienen. (Vgl. E. Eichmann, Das Exkommunikationsprivileg des deutschen Kaisers im MA., in Savigny-Zeitschrift kanonist. Abtlg. I 160 ff.): Leo IV. (ca. 852) gegen Erzbischof Hinkmar von Reims, welcher den Kaiser Lothar mit dem Kirchenbann bedroht hatte, MG. Ep. V 604: Ita ut, quem imperatorem princeps sacerdotum et primus sanctae recordationis predecessor noster dominus Pascalis papa oleo benedictionis unctum consecraverat more predecessorum apostolicorum . . . anathemate iniuriasset, nostrum et eiusdem magni imperatoris ministerium parvipendens et transgressus divinas pariter et humanas constitutiones.

Leo IV. ca. 852 an Kaiser Lothar, MG. Ep. V 605: (Hincmarus) in unctum Domini, quem sedes apostolica benedictionis oleo publice consecravit sibi proprium fecit heredem, anathematis iaculum . . . inferre presumpsit. . . mandamus, ut . . . neque contra vos, quem Deus sibi principem et imperatorem elegit, et per manus summi et apostolici pontificis sanctificatum benedictionis oleum super vestrum caput effudit, clam vel publice audeat aliquam quocumque tempore anathematis vel aliam iniuriae inferre iacturam.

<sup>1</sup> Vgl. Rosenstock a. a. O. 121.

Vgl. ferner den Ordo (Cencius II) der Kaiserkrönung, Heft I Nr. 39 S. 80: Ego te recipio in filium ecclesiae. Et mittit eum sub manto et ille osculatur pectus domini papae. (Adoptionsform!)

Privileg Johannis XIX. a 1024 für das Kloster Clugny, Migne, PL. 141., 1136: Inhonestum enim nobis videtur, ut sine nostro iudicio, a quoquam anathematizetur sanctae sedis apostolicae filius veluti cuiuscunque subiectae Ecclesiae discipulus.

Privileg Innocenz II. vom 8. Juni 1133 für Kaiser Lothar III., MG. Const. I 168: te christianissimum principem et inter speciales beati Petri filios unicum ac precipuum defensorem ad imperii fastigia . . . sublimavimus.

Hadrian I. am 20. Sept. 1157 an Friedrich I., MG. Const. I 230: personam tuam sicut carissimi et specialis filii nostri . . . sincera semper dileximus caritate.

Bonifaz VIII. an Albrecht I. 30. April 1303, MG. Const. IV 147: te in specialem filium nostrum recipimus et ecclesiae memoratae ac in Regem Romanorum assumimus in imperatorem auctore Domino promovendum. (Vgl. c. un. in Clem. 2, 9.)

Alexander III. 1159—1181 (Jaffé, Reg. 13741; c. 4 Comp. I 3, 25): in speciales Romanae ecclesiae filios, qui scilicet nullum episcopum praeter Romanum pontificem habent. Vgl. c. 1 in VI<sup>to</sup> 5, 12 und c. 10 in VI<sup>to</sup> 5, 7.

e) Klenkok gegen Ssp. III 57 § 1. Homeyer in Abhandlungen der k. Akademie der Wissenschaften zu Berlin aus dem Jahre 1855 S. 420:

Dit stücke is weder dat gotlike recht dar dem pavese ane bevolen is, dat he moge binden alle christen lüde umme ere openbare missedait. Sinte Ambrosius biscop to meilan ben Theodosium den keiser dar umme, dat he hadde gheven ein snel ordel des dodes der lüde von Thessalonican und is dar umme gelovet an gotliken ind keisers rechte. Doch so enwas dit dusser drier sake nein.

Gregor VII. an Bischof Herrmann von Metz 15. März 1081  
Reg. VIII 21, Jaffé, Bibl. rer. germ. II 458.

Et beatus Ambrosius, licet sanctus non tamen ecclesiae universalis episcopus, pro culpa, quae ab aliis sacerdotibus non adeo gravis videbatur, Theodosium Magnum imperatorem excommunicans ab ecclesia exclusit.

Bernald, Apologeticae rationes.  
MG. Lib. II 97.

Sed et inferioris ordinis episcopi imperatores et reges excommunicasse leguntur; sanctus enim Ambrosius Mediolanensis episcopus maiorem Theodosium imperatorem excommunicasse et post satisfactionem reconciliasse legitur.

Ähnlich Bernhard von Konstanz, Liber contra Henricum IV. c. 25,  
MG. Lib. I 497.

Sächsische Weltchronik c. 100.  
MG. Deutsche Chroniken II 130.

De keiser Theodosius . . . was de erste keiser, de ie to banne gedan wart. Dat gescha bi sineme willen.

f) Verurteilung des Ssp. III 57 § 1 durch die Bulle Gregors XI. Salvator generis humani 1374, s. Nr. 46.

## II. Kampf zwischen Papsttum und Kaisertum.

### 1. Das Imperium ein päpstliches Lehen?

Nr. 32.

a) Schreiben Hadrians IV. an Friedrich I. vom 20. September 1157.

MG. Const. I 229.

Adrianus episcopus servus servorum Dei dilecto filio Friderico illustri Romanorum imperatori salutem et apostolicam benedictionem.

(1) Imperatoriae maiestati paucis retroactis diebus recolimus nos scripsisse illud horrendum et execrabile facinus et piaculare flagitium tempore nostro commissum, in Teutonicis partibus, sicut credimus, aliquando intemptatum, excellentiae tuae ad memoriam revocantes, nec sine grandi ammiratione ferentes, quod absque digna severitate vindictae usque nunc transire passus sis tam perniciosi sceleris feritatem; qualiter enim venerabilis frater noster E. Lundenensis archiepiscopus, dum a sede apostolica remearet, a quibusdam impiis et scelestis, quod sine grandi animi merore non dicimus, in partibus illis captus fuerit et adhuc in custodia teneatur, qualiter etiam in ipsa captione predicta viri impietatis, semen nequam, filii scelerati in eum et in suos evaginatis gladiis violenter exarserint, et eos, ablatis omnibus, quam turpiter atque inhoneste tractaverint, et tua serenissima celsitudo cognoscit atque ad longinquas et remotissimas regiones fama tanti sceleris iam pervenit. (2) Ad cuius utique vehementissimi facinoris ultionem, sicut is cui bona placere, mala vero displicere credimus, constantius exurgere debuisti, et gladium, qui tibi ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum est ex divina provisione concessus, in cervicem deseivere oportuit impiorum et gravissime conterere presumptores. Tu vero id ipsum ita dissimulasse diceris seu etiam neglexisse, quod eosdem malefactores non est quare peniteat commisisse reatum, quia se inpunitatem sacrilegi quod

gesserunt iamiam sentiunt invenisse. Cuius quidem dissimulationis et negligentiae causam penitus ignoramus, quoniam nos in aliquo serenitatis tuae gloriam offensidisse conscientiae scrupulus nostrum animum non accusat, sed personam tuam sicut karissimi et specialis filii nostri et principis christianissimi, quem in apostolicae confessionis petra non ambigimus per Dei gratiam solidatum, sincera semper dileximus karitate et debitae tractavimus benignitatis affectu. (3) Debes enim, gloriosissime fili, ante oculos mentis reducere, quam gratanter et quam iocunde alio anno mater tua sacrosancta Romana ecclesia te suscepit, quanta cordis affectione tractaverit, quantum tibi dignitatis plenitudinem contulerit et honoris, et qualiter imperialis insigne coronae libentissime conferens, benignissimo gremio suo tuae sublimitatis apicem studuerit confovere, nichil prorsus efficiens quod regiae voluntati vel in minimo cognosceret obviare. Neque tamen penitet nos tuae desideria voluntatis in omnibus implevisse, sed si maiora beneficia excellentia tua de manu nostra suscepisset, si fieri posset, considerantes, quanta aeccliesiae Dei et nobis per te incrementa possint et commoda provenire, non inmerito gauderemus. (4) Nunc autem, quia tam immensum facinus, quod in contumeliam universalis aeccliesiae et imperii tui noscitur etiam commissum, negligere ac dissimulare videris, suspicamur utique ac veremur, ne forte in hanc dissimulationem et negligentiam propter hoc tuus animus sit inductus, quod suggestionem perversi hominis zizania seminantis adversus clementissimam matrem tuam sacrosanctam Romanam aeccliesiam et nos ipsos indignationem, quod absit, aliquam conceperis vel rancorem. (5) Ob hoc igitur et ob alia omnia negotia, quae cognoscimus imminere, duos de melioribus et carioribus quos circa nos habemus, dilectos scilicet filios nostros Bernhardum tituli sancti Clementis presbiterum cardinalem et Rolandum tituli Sancti Marci presbiterum cardinalem et cancellarium nostrum, viros utique religione et prudentia et honestate conspicuos, serenitati tuae de latere nostro ad presens duximus destinandos, excellentiam tuam rogantes attentius, quatinus eos tam honorifice quam benigne recipias, honeste tractes et ea quae ipsi super hoc et super aliis ad honorem Dei et sacrosanctae Romanae aeccliesiae, ad decus etiam et exaltationem imperii pertinentia ex parte nostra imperatoriae proposuerint dignitati, sicut ab ore nostro procedant,

absque ulla hesitatione suscipias et ipsorum verbis, tamquam si ea contingeret nos proferre, fidem non dubites adhibere.

Data Anagnie XII. Kal. Octobris.

- b) Otto von Freising und Rahewin, Gesta Friderici Imperatoris III 10.  
MG. SS. XX 421. SS. rer. Germ. 140.

Talibus litteris lectis (Hadrians IV. an Friedrich I.) et per Reinaldum cancellarium fida interpretatione diligenter expositis, magna principes qui aderant indignatione commoti sunt, quia tota litterarum continentia non parum acridinis (acerbitudinis) habere et occasionem futuri mali iam iam fronte sua praeferre videbatur. Praecipue tamen universos accenderat, quod in premissis litteris inter caetera dictum fuisse acceperant, dignitatis et honoris plenitudinem sibi a Romano pontifice collatam et insigne imperialis coronae de manu eius imperatorem suscepisse, nec ipsum penitere, si maiora beneficia de manu eius suscepisset, habita consideratione, quanta ecclesiae Romanae per ipsum possent incrementa et commoda provenire. Atque ad horum verborum strictam expositionem ac prefatae interpretationis fidem auditores induxerat, quod a nonnullis Romanorum tenere affirmari noverant, imperium Urbis et regnum Italicum donatione pontificum reges nostros actenus possedisse, idque non solum dictis, sed et scriptis atque picturis repraesentare et ad posterum transmittere. Unde de imperatore Lothario in palatio Lateranensi super eiusmodi picturam scriptum est:

Rex venit ante fores, iurans prius Urbis honores,  
Post homo fit papae, sumit quo dante coronam.

Talis pictura talisque superscriptio principi, quando alio anno circa Urbem fuerat, per fideles imperii delata, cum vehementer displicuisset, amica prius invectione precedente, laudamentum a papa Adriano accepisse memoratur, ut et scriptura pariter atque pictura talis de medio tolleretur, ne tam vana res summis in orbe viris litigandi et discordandi prebere posset materiam. His omnibus in unum collatis, cum strepitus et turba inter optimates regni de tam insolita legatione magis ac magis invalesceret, quasi gladium igni adderet, dixisse ferunt unum de legatis: „A quo ergo habet, si a domno papa non habet imperium?“ Ob hoc dictum eo processit iracundia, ut unus eorum,

videlicet Otto, palatinus comes de Baioaria, ut dicebatur, exerto gladio cervici illius mortem intentaret. At Fridericus, auctoritate presentiae suae interposita, tumultum quidem comescuit, ipsos autem legatos securitate donatos ad habitacula deduci ac primo mane via sua proficisci precepit, addens in mandatis, ne hac vel illac in territoriis episcoporum seu abbatum vagarentur, sed recta via, nec ad dextram nec ad sinistram declinantes, reverterentur ad Urbem. Ipsis itaque sine efficacia revertentibus, id quod factum fuerat ab imperatore per universum regni ambitum provide litteris declaratur; quarum hic tenor fuit.

- c) Annales Colonienses Maximi a. 1157.

MG. SS. XVII 766.

Nam papa quondam Innocentius Romae in muro pingi fecerat se quasi in throno pontificali sedentem, imperatorem vero Lotharium complicatis manibus coram se inclinatum coronam imperii suscipientem.

- d) Rundschreiben Friedrichs I. vom Oktober 1157.

MG. Const. I 230.

Cum divina potentia, a qua omnis potestas in caelo et in terra, nobis, christo eius, regnum et imperium regendum commiserit<sup>1</sup> et pacem aecclesiarum imperialibus armis conservandam ordinaverit, non sine maximo dolore cordis conqueri cogimur dilectioni vestrae, quod a capite sanctae aecclesiae, cui Christus pacis ac dilectionis suae characterem impressit, causae dissensionum, seminarium malorum, pestiferi morbi venenum manare videntur. De quibus, nisi Deus avertat, totum corpus aecclesiae commaculati, unitatem

<sup>1</sup> Über Friedrichs I. Auffassung vom Kaisertum vgl. Mario Kramer, Der Reichsgedanke des staufischen Kaiserhauses 1908. Friedrichs I. Sentenz vom 2. Juli 1173, MG. Const. I 335: imperatoria maiestas, quae regis regum et domini dominantium vicem gerit in terris. Die Stelle Apoc. 17, 14 Rex regum et dominus dominantium diente als Argument für die gleichen päpstlichen Ansprüche (cf. z. B. c. un. X vag. comm. 1, 1 und unsern Abschnitt III.). Frühere Verwendung von Apoc. 17, 14: für K. Ludwig d. Fr. 829, MG. Conc. II 683; von Papst Johann VIII. 878, MG. Ep. VII 64. Der König als Stellvertreter Christi: Wipo, vita Chuonradi imp. c. 3 MG. SS. XI 260 (Ansprache des Erzbischofs von Köln an den König): ad summam dignitatem pervenisti, vicarius es Christi . . . oramus, ut illis dimittas pro caritate Dei, quae te hodie in virum alterum mutavit et numinis sui participem fecit.

scindi, inter regnum et sacerdotium scisma fieri pertimescimus. Cum enim nuper in curia Bisuncii essemus et de honore imperii et salute aecclesiarum debita sollicitudine tractarem, venerunt legati apostolici, asserentes, se talem legationem afferre nostrae maiestati, unde honor imperii non parvum accipere deberet incrementum. Quos cum prima die adventus sui honorifice suscepissemus et secunda, ut mos est, ad audiendam legationem eorum cum principibus nostris consedissemus, ipsi quasi de mammona iniquitatis inflati, de altitudine superbiae, de fastu arrogantiae, de execrabili tumidi cordis elatione, legationem apostolicis litteris conscriptam nobis presentaverunt, quarum tenor talis erat: quod pre oculis mentis semper deberemus habere, qualiter dominus papa insigne imperialis coronae nobis contulerit, neque tamen penitentia moveretur, si maiora excellentia nostra ab eo beneficia suscepisset. Haec erat illa paternae dulcedinis legatio, quae unitatem aecclesiae et imperii confovere debuit, quae vinculo pacis utrumque colligare studuit, quae ad utriusque concordiam et obedientiam animos audientium allexit. Certe ad vocem illam nefandam et omni veritate vacuam non solum imperialis maiestas debitam indignationem concepit, verum omnes principes qui aderant tanto furore et ira sunt repleti, quod sine dubio illos duos iniquos presbiteros mortis sententia dampnassent, nisi hoc nostra interceptisset presentia. Porro quia multa paria litterarum apud eos reperta sunt et scedulae sigillatae ad arbitrium eorum adhuc scribendae, quibus, sicut actenus consuetudinis eorum fuit, per singulas aecclesias Teutonici regni conceptum iniquitatis suae virus respergere, altaria denudare, vasa domus Dei asportare, cruces excoriare nitebantur, ne ultra procedendi facultas eis daretur, eadem qua venerant via ad Urbem eos redire fecimus. Cumque per electionem principum a solo Deo regnum et imperium nostrum sit, qui in passione Christi filii sui duobus gladiis necessariis regendum orbem subiecit, cumque Petrus apostolus hac doctrina mundum informaverit: „Deum timete, regem honorificate“, quicumque nos imperialem coronam pro beneficio a domno papa suscepisse, divinae institutioni et doctrinae Petri contrarius est et mendacii reus erit. Quia vero actenus honorem ac libertatem aecclesiarum, quae iamdiu indebitae servitutis iugo depressa est, a manu Egyptiorum studuimus eripere et omnia eis dignitatum

suarum iura conservare intendimus, universitatem vestram super tanta ignominia nobis et imperio condolere rogamus, sperantes, ne honorem imperii, qui a constitutione Urbis et christiana religionis institutione ad vestra usque tempora gloriosus et imminutus extitit, fidei vestrae indivisa sinceritas tam inaudita novitate, tam presumptuosa elatione imminui patiatur; sciens omni ambiguitate remota, quod mortis periculum ante vellemus incurrere, quam nostris temporibus tantae confusionis obprobrium sustinere.

e) Aus dem Schreiben Friedrichs I. an die deutschen Bischöfe 1158.

MG. Const. I 233.

Liberam imperii nostri coronam divino tantum beneficio ascribimus; electionis primam vocem Maguntino archiepiscopo, deinde quod superest caeteris secundum ordinem principibus recognoscimus; regalem unctionem Coloniensi, supremam vero, quae imperialis est, summo pontifici; quidquid praeter haec est, ex habundanti est, a malo est ... A pictura cepit, ad scripturam pictura processit, scriptura in auctoritatem prodire conatur. Non patiemur, non sustinebimus; coronam ante ponemus, quam imperii coronam una nobiscum sic deponi consentiamus. Picturae deleantur, scripturae retractentur, ut inter regnum et sacerdotium aeterna inimiciciarum monimenta non remaneant.

f) Entschuldigungsschreiben Hadrians IV. Juni 1158.

MG. Const. I 234.

Ex quo universalis aecclesiae curam, Deo prout ipsi placuit disponente, suscepimus, ita in cunctis negotiis magnificentiam tuam honorare curavimus, ut de die in diem animus tuus magis ac magis in amore nostro et veneratione sedis apostolicae debuisset accendi. Unde sine grandi admiratione non ferimus quod, cum, audito ex suggestione quorundam animum tuum aliquantulum contra nos fuisse commotum, duos de melioribus et maioribus fratribus nostris, Rolandum scilicet cancellarium tituli Sancti Marci et Bernhardum tituli Sancti Clementis presbiteros cardinales, qui pro tuae maiestatis honore in Romana aecclesia solliciti semper extiterant, pro voluntatis tuae cognitione ad tuam presentiam direximus, aliter quam imperialem decuerit honorificentiam sunt tractati. Occasione siquidem

cuiusdam verbi, quod est „beneficium“, tuus animus, sicut dicitur, est commotus, quod utique nedum tanti viri, sed nec cuiuslibet minoris animum merito commovisset. Licet enim hoc nomen, quod est beneficium, apud quosdam in alia significatione, quam ex inpositione habeat, assumatur, tunc tamen in ea significatione accipiendum fuerat, quam nos ipsi posuimus et quam ex institutione sua noscitur retinere. Hoc enim nomen ex „bono“ et „facto“ est editum et dicitur beneficium aput nos non feudum, sed bonum factum. In qua significatione in universo sacrae scripturae corpore invenitur, ubi ex beneficio Dei, non tanquam ex feudo, sed velut ex benedictione et bono facto ipsius gubernari dicimur et nutriri. Et tua quidem magnificentia liquido recognoscit, quod nos ita bene et honorifice imperialis dignitatis insigne tuo capiti imposuimus, ut bonum factum valeat ab omnibus iudicari. Unde quod quidam verbum hoc et illud, scilicet „contulimus tibi insigne imperialis coronae“, a sensu suo nisi sunt ad alium retorquere, non ex merito causae, sed de voluntate propria et illorum suggestione, qui pacem regni et aeclesiae nullatenus diligunt, hoc egerunt. Per hoc enim vocabulum „contulimus“ nil aliud intelligimus, nisi quod superius dictum est, „imposuimus“. Sane quod postmodum personas aeclesiasticas a debita sacrosanctae Romanae aeclesiae visitatione, ut dicitur, revocari iussisti, si ita est, quam inconvenienter actum sit, tua, fili in Christo karissime, discretio, ut credimus, recognoscit. Nam si apud nos aliquid amaritudinis habebas, per nuncios et litteras tuas nobis fuerat intimandum, et nos honori tuo curavisset, sicut filii karissimi, providere. Nunc igitur quoniam ad commonitionem dilecti filii nostri Heinrici Baioariae et Saxoniae ducis duos de fratribus nostris Heinricum tituli Sanctorum Nerei et Achillei presbiterum et Jacinctum Sanctae Mariae in Cosmidin diaconem cardinales, prudentes siquidem et honestos viros, ad tuam presentiam destinamus, celsitudinem tuam monentes et hortantes in Domino, quatinus eos honeste ac benigne recipias; et quod ab eis ex parte nostra tuae magnificentiae fuerit intimatum, a sinceritate cordis nostri noverit tua excellentia processisse, ac per hoc cum eisdem filiis nostris, mediante iam dicto filio nostro duce, ita celsitudo tua studeat convenire, ut inter te et matrem tuam sacrosanctam Romanam aeclesiam ammodo nullius discordiae seminarium debeat remanere.

g) Gerhoh von Reichersberg, De investigatione antichristi (1162) l. I c. 72.  
MG. Lib. III 392.

Quin etiam, sicut aliquando caesares quaedam pontificalia et ecclesiastica praesumebant, ita isti de contra cum sacerdotio quoddam in se caesareum ac supercaesareum imaginantur. Nam dum caesares hominio sibi obligari pingunt, locuntur et scribunt, dum eorum processus quousque veniant et ubi subsistant, quas contra civitates veniant, a quibus etiam imperio rebellibus abstineant praescribunt, quid nisi se imperatores et imperatorum dominos, porro imperatores suos vassallos constituunt? Hoc autem quid est aliud, quam potestatem a Deo constitutam destruere et ordinationi Dei resistere? — — Aut enim imperialem eis coronam cum nomine detrahant et sic eos suae ditioni subiciant vel hominio obligent, si est unde id facere possint et debeant atque uno carentes augustali imperio mille super se dominos sustineant, aut si eos imperiali corona et nomine honorant, quomodo eos versa vice hominii pictura et nomine dehonestant? Non bene conveniunt, ut ait quidam, nec in una se morantur imperialis maiestas et hominii obligatio.

h) Friede von Venedig 1177.

MG. Const. I 362.

1. Dominus imperator F. sicut dominum papam A. in catholicum et universalem papam recepit, ita ei debitam reverentiam exhibebit, sicut catholici sui antecessores suis catholicis antecessoribus exhibuerunt. Successoribus quoque suis catholice (canonice?) intrantibus eandem reverentiam exhibebit.

2. Et reddet dominus imperator veram pacem tam domino pape Alexandro quam omnibus successoribus suis et toti Romanae ecclesie.

3. Omnem vero possessionem et tenementum sive prefecture sive alterius rei, quam Romana ecclesia habuit et ipse abstulit per se vel per alios, bona fide restituet ei salvo omni iure imperii. Ecclesia quoque Romana omnem possessionem et tenementum, quod ei abstulit per se vel per alios, bona fide ei restituet salvo omni iure Romanae ecclesie.

4. Possessiones etiam, quas dominus imperator restituet, ad retinendum iuvabit.

5. Similiter et universos vasallos ecclesie, quos occasione scismatis dominus imperator abstulit vel recepit, dominus imperator absolvet et domino pape A. restituet et ecclesie Romane.

6. Preterea dominus imperator et dominus papa ad honorem et iura ecclesie et imperii conservanda se vicissim iuvabunt, dominus papa ut benignus pater devotum et carissimum filium et imperatorem christianissimum, dominus vero imperator ut devotus filius et christianissimus imperator dilectum et reverendum patrem et beati Petri vicarium.

7. Quemcumque autem tempore scismatis vel occasione ipsius aut sine ordine iuditiario ecclesiis a domino imperatore vel suis sunt ablata, eis restituentur.

8. Domina etiam B. imperatrix recipiet dominum papam A. in catholicum et universalem papam. Dominus quoque Henricus rex filius eorum similiter eum recipiet et ei et catholicis successoribus suis debitam reverentiam exhibebit et iuramentum, quod dominus imperator exhibuerit, similiter et ipse prestabit.

9. Pacem autem veram reddit dominus imperator et dominus Henricus rex filius eius illustri regi Sicilie usque ad XV annos, sicut per mediatores pacis est ordinatum et scriptum.

10. Constantinopolitano etiam imperatori et universis adiutoribus ecclesie Romane pacem veram reddit et nullum malum meritum reddet eis per se vel per suos pro servitio collato ecclesie Romane.

11. De querelis autem et controversiis, que ante tempora domini Adriani inter ecclesiam et imperium vertebantur, mediatores ex parte domini pape et domini imperatoris constituentur, quibus committentur, ut eas iudicio vel concordia terminent. Si vero predicti mediatores non convenerint, iudicio domini pape et domini imperatoris vel eius seu eorum, quos ad id elegerint, finientur.

12. Cristiano autem dicto cancellario Maguntinus archiepiscopus, Philippo autem Coloniensis archiepiscopus concedentur et confirmabuntur eis cum omni plenitudine archiepiscopalis dignitatis et officii. Et primus archiepiscopus, qui in Theutonico regno vacaverit, domino Corrado auctoritate domini pape et auxilio domini imperatoris assignabitur, qui tamen congruus videatur.

13. Ei autem qui dicitur Calixtus una abbatia dabitur.

Illi autem qui dicebantur eius cardinales redibunt ad loca que primo habuerunt, nisi ea sponte vel iudicio dimiserant, et in ordinibus, quos ante scisma perceperunt, relinquentur.

14. Gero autem nunc dictus Alberstatensis precise deponetur et Ulricus verus Alberstatensis restituetur. Alienationes a Gerone facte et beneficia data similiter et ab omnibus intrusis auctoritate domini pape et domini imperatoris cassabuntur et suis ecclesiis restituentur.

15. De electione Brandenburgensis episcopi, qui ad Bremensem archiepiscopatum electus erat, cognoscetur et, si canonicum fuerit, ad eandem ecclesiam transferetur. Et quecumque a Baldeuino, qui nunc preest Bremensi ecclesie, alienata vel inbeneficiata sunt, sicut canonicum et iustum fuerit, eidem ecclesie restituentur.

16. Item que Salsiburgensi ecclesie tempore scismatis subtracta sunt, ei plenarie restituentur.

17. Universi clerici qui sunt de Ytalia vel aliis regionibus, qui sunt extra Theoticum regnum, dispositioni et iudicio domini pape A. successorumque eius relinquentur. Si vero domino imperatori placuerit rogare pro ordinibus aliquorum quos canonicè perceperunt, usque ad X vel XII, si instare voluerit, exaudietur.

18. G. autem Mantuanus ad episcopatum quondam suum restituetur, ita tamen quod ille qui nunc est Mantuanus, auctoritate domini pape et auxilio domini imperatoris ad Tridentinum episcopatum transferetur, nisi forte inter dominum papam et dominum imperatorem convenerit, ut in alio ei episcopatu provideatur.

19. Archipresbiter vero de Sacco in archipresbiteratu quondam suo et in aliis beneficiis, que ante scisma habuit, cum omni plenitudine restituetur.

20. Universi etiam ordinati a quondam catholicis vel ab ordinatis eorum in Theutonico regno restituentur in ordinibus taliter preceptis nec occasione huius scismatis gravabuntur.

21. De Argentinensi autem et Basiliensi dictis episcopis, qui ordinati fuerunt a Guidone Cremensi, in eodem regno a predictis mediatoribus committetur X vel octo quos ipsi elegerint, qui prestito iuramento firmabunt, quod illud consilium de ipsis Romano pontifici et domino imperatori dabunt quod viderint se canonicè posse dare absque periculo scilicet anime domini pape et domini imperatoris et sue, et dominus papa adquiescet eorum consilio.

22. Dominus autem papa et omnes cardinales sicut receperunt dominum imperatorem F. in Romanorum et catholicum imperatorem, ita recipient B. felicem uxorem eius in catholicam et Romanorum imperatricem, ita tamen quod ipsa coronetur a domino papa A. vel a legato ipsius. Dominum autem Hericum filium eorum in catholicum regem recipient.

23. Pacem etiam veram reddent dominus papa et cardinales domino imperatori F. et domine imperatrici B. et Herico regi filio eorum et universis adiutoribus ipsorum, salvis que de spiritualibus dispositioni et iudicio domini pape A. et Romane ecclesie presenti scripto relinquuntur et salvo omni iure Romane ecclesie adversus detentatores rerum beati Petri et salvis his que prescripta sunt tam pro parte ecclesie quam pro parte domini imperatoris et imperii.

24. Pacem vero predictam promittit dominus papa se observaturum in verbo veritatis et omnes cardinales, et privilegium inde faciet cum subscriptione omnium cardinalium. Ipsi etiam cardinales scriptum confirmationis predictae pacis facient cum appositione sigillorum suorum.

25. Et dominus papa statim advocato concilio, quale subito advocari poterit, cum cardinalibus episcopis aliisque religiosis viris qui interfuerint excommunicationem statuere in omnes qui hanc pacem infringere temptaverint. Deinde in generali concilio idem faciet.

26. Plures etiam de nobilibus Romanis et capitaneis Campanie hanc eandem pacem iuramento firmabunt.

27. Imperator vero predictam pacem ecclesie et iam dictam pacem XV annorum illustris regis Sicilie et treuquam Lombardorum a proximis scilicet Kal. Augusti usque ad VI annos firmabit iuramento suo et principum et faciet Lombardos qui ex parte sua sunt, sicut in communi scripto treuque dispositum et scriptum est, eandem treuquam firmari. Si vero aliquis fuerit ex parte imperatoris qui predictam treuquam iurare recusaverit, imperator precipiet universis, qui ex parte sua sunt, sub debito fidelitatis et gratie sue, ut nullum prestant ei auxilium et volentibus eum offendere in nullo obsistant vel contradicant, et si quis offenderit, non teneatur inde. Mandatum autem istud non revocabit dominus imperator, donec treuqua durabit. Et dominus Hericus rex filius eius predicta firmabit, sicut scripto dispositum est. Dominus etiam imperator predictam

pacem ecclesie et illustris regis Sicilie usque ad XV annos et treuquam Lombardorum corroborabit scripto suo cum subscriptione sua et principum.

28. Si vero, quod absit, dominus papa premoriatur, dominus imperator et dominus Hericus rex filius eius et principes hanc formam pacis et compositionis firmiter observabunt successoribus suis et universis cardinalibus et toti Romane ecclesie et illustri regi Sicilie et Lombardis et ceteris qui secum sentiunt. Similiter, quod absit, si dominus imperator premoriatur, dominus papa et cardinales et ecclesia Romana iam dictam pacem firmiter observabunt successoribus suis et B. felici uxori eius et Herico regi filio eius et omnibus de Theotonico regno et ceteris adiutoribus suis, sicut prescriptum est. Et successores domini pape similiter observabunt.

- † Wiemannus Madiburgensis archiepiscopus subscripsi.
- † Philippus Coloniensis archiepiscopus subscripsi.
- † Ego Christianus Maguntinus archiepiscopus subscripsi.
- † Ego Arnulphus Treuerensis archiepiscopus subscripsi.
- † Ego Arduinus imperialis prothonotarius subscripsi.

i) Erklärung der Fürsten (staufische Partei) im Januar 1202 gegen den päpstl. Legaten. (Dualismus von Imperium und Sacerdotium.)

MG. Const. II 6.

Mediator enim Dei et hominum, homo Christus Iesus, actibus propriis et dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit, ut et Deo militans minime se negotiis implicaret secularibus, ac vicissim non ille rebus divinis presidere videretur qui esset negotiis secularibus implicatus.

## 2. Der Eid des Kaisers ein Lehenseid?

Nr. 33.

Vgl. Heft I Nr. 45h; oben Nr. 17a, c; Kaiserkrönungssordo, Nr. 25c.

a) Protestschreiben Heinrichs VII. vom 6. August 1312.

MG. Const. IV 843.

Item in litteris domini papae continetur, qualiter ipse dicit, quod nos sumus ei astricti ad iuramentum fidelitatis . . . Verumtamen qualitercunque praedicta fuerint

scripta, nos fuimus et semper esse volumus defensor et pugil sacrosanctae Romanae ecclesiae in omnibus suis iuribus. Sed nos non sumus astricti alicui ad iuramentum fidelitatis nec unquam iuramentum fecimus, propter quod ad iuramentum fidelitatis simus alicui astricti, nec scimus, quod antecessores nostri imperatores Romanorum hoc iuramentum unquam fecerint.

b) Aus einem Memoriale für Heinrich VII. 1312/13.

MG. Const. IV 1312.

Item adhuc instatur contra hoc idem alia ratione, quia imperator iurat papae, ergo est maior eo, ut in decr. 63 di. „tibi domino“ (= c. 33 D 63). Sed ad hoc est responsio prompta, quia illud non est sacramentum subiectionis seu vassallagii nec enim illius per omnia formam habet, sed est sacramentum devotionis seu reverentiae ac humilitatis, quam disciplina docuit christiana, et cuiusdam obsequii christianitatis. Illa enim forma subiectionis est alia prorsus ab ista, illa scilicet quae continet ratione beneficii tutum, incolume, honestum, utile, facile etc., de qua habetur in decretis XXII q. V „de forma“ (c. 18 C 22 qu. 5). Nec enim ideo praestat imperator hoc iuramentum papae, quod ab eo aliqua temporalia percipiat, quae imperii quod semper est tantum, sed ratione obsequii, quod debet spiritualiter quilibet christianus ecclesiae et maxime principes catholici et ante omnes imperator, scilicet quod non adversentur ecclesiae neque summo pontifici sint dampno de vita vel membris, vel quod mala captione capiatur et similia, quia pontifex est caput ecclesiae, et quod servabit honorem ipsius ecclesiae pro posse et cetera, quae habentur in dicto c. „tibi domino“.

c) Aus einem juristischen Gutachten für Klemens V. 1313.

MG. Const. IV 1320.

Istud autem iuramentum (imperatoris) in substantia et re ipsa et virtute verborum vim habet et virtutem iuramenti fidelitatis, et talia magis sunt attendenda quam forma verborum et folia. Ergo iuramentum fidelitatis est reputandum de iure. Nam etsi in eo non contineatur verbum fidelitatis, re tamen ipsa et per capitula iuramento explicitè comprehensa fidelitas est expressa et ideo iuramentum fidelitatis est censendum . . . Et licet propter hoc,

quia non est forma verborum iuramenti fidelitatis quod praestat vassallus domino ex toto servata, dici potest iuramentum, quod subditus illi sub quo est praestat ratione iurisdictionis, ut in Li. Feu. qualiter vassallus iurare debeat c. unico.

d) Libri feudorum II 5.

K. Lehmann, Das langobardische Lehenrecht. 1896. S. 120.

Qualiter autem debeat iurare vasallus fidelitatem, videamus: „Iuro ego ad haec sancta Dei evangelia, quod a modo ero fidelis huic, sicut debet esse vasallus domino, nec id, quod mihi sub nomine fidelitatis commiserit, pandam alii ad eius detrimentum me sciente.“ Si vero domesticus, id est familiaris, eius sit, cui iurat, aut si ideo iurat fidelitatem, non quod feudum habeat sed quia sub iurisdictione eius sit, cui iurat, nominatim vitam, membrum, mentem et illius rectum honorem iurabit.

e) Bulle Romani principes Klemens' V. vom 14. März 1314.

MG. Const. IV 1207; c. un. in Clem. 2, 9.

— — Secundum formam in decretis quae incipit „tibi domino“ (c. 33 D 63) comprehensam fidelitatis recepimus iuramentum. Licet autem, an iuramentum fidelitatis existat, a retro Romanis principibus non fuerit hactenus haesitatum, quia tamen idem Henricus Romanorum imperator, qui in diebus proximis fuit de hac luce substractus, non virtutem et mentem, sed nudam proprietatem verborum insectans sensumque confundens et iuramentum restringendo praedictum curiose videbatur asserere, ut preferatur, illud ad debitum fidelitatis huiusmodi non extendi, novo morbo curiositatis huiusmodi luculente antidotum veritatis presentis declarationis oraculo providimus apponendum. Quia igitur capitulis in iuramento fidelitatis contentis sollicita meditatione pensatis, ipsa capitula in prefato imperatoris iuramento, quantum ad effectum, mentem et virtutem ipsius non est dubium contineri, nos premissis et aliis rationibus, ne quis in Romanum assumptus principem vel in posterum assumendus, an iuramentum huiusmodi per dictum Henricum imperatorem prestitum et per successores ipsius in futurum prestandum fidelitatis rationabiliter dici possit, in dubitationem ducere audeat vel super hoc contrarium adstruere veritati, auctoritate

apostolica de fratrum nostrorum consilio unanimi et concordia declaramus et etiam diffinimus, illud iuramentum fidelitatis existere ac censeri debere.

f) Hostiensis, Lectura in quinque Decretalium Gregorianarum libros (1271) II 2 v. vacante.

Nam specialis coniunctio est inter papam et imperatorem, quia Papa ipsum examinat et approbat et inungit, et imperator ei iurat tamquam domino et ab eo tenet imperium et eius est advocatus. . . Et inde est quod de iure imperii, quod ab ecclesia romana tenet imperator, succedit papa imperio vacante.

g) Alvaro Pelaio, De planctu ecclesiae (1332) I 68.

Nullus clericus potest ab imperatore iudicari, . . . tum quia papa a deo non ab homine iurisdictionem recipit et ab eo solo iudicandus est, tum quia imperator inferior; tum quia est imperator vicarius papae in temporalibus, quia a papa recipit imperium et tenet. Et vicarius non iudicat illum a quo iurisdictionem habet, quod una iurdictio censetur utriusque et consistorium . . . Tum quia imperator filius est ecclesiae et non pater, pater vero filium corrigit, non econtra . . . Tum quia imperator imperium tenet ab ecclesia sicut vasallus fidelis (c. 33 D 63, c. un. in Clem. 2, 9) sed vasalli respondent sub iudicio domini, non econtra . . . Tum quia imperator gladium recipit ab ecclesia, sed qui gladium ab alio recipit, non illum, a quo recipit, percutit. . . Tum quia papa non homo simpliciter sed quasi deus in terris est, sed homo deum non diiudicat sed econtra.

h) Pelaio l. c. I 44.

Item nulli dubium est quod imperator fidelis est ecclesiae et fidelitatem sibi iurat (c. 33 D 63; c. un. in Clem. 2, 9). Et inde est ratio quare facilius papa contra ipsum procedit ad depositionem quam contra alios reges.<sup>1</sup>

i) Lupold von Bebenburg, De iure regni et imperii Romani (1340) c. 9.

S. Schard, De iurisdictione, auctoritate et praeceminentia imperiali. 1566. p. 368.

Iuramentum, quod solet praestare rex Roman. papae et ecclesiae Romanae, secundum formam in can. 63 distinct.

<sup>1</sup> Vgl. Nr. 40 b; Tolomeo von Lucca Nr. 41 k.

c. tibi domino comprehensam, non est iuramentum fidelitatis, id est homagii, scilicet quod praestat fidelis seu vasallus domino suo, ratione feudi: sed est iuramentum fidelitatis, id est fidelis defensionis per ipsum regem papae et ecclesiae impendendae. Circa probationem huius articuli sciendum est, quod Hugo tenet, quod Imperator habet potestatem a solo Deo, quo ad temporalia, nec subest in eis papae. Post eundem Carolum (Magnum), successores sui, primo per successionem generis, et deinde per electionem surrogatam in locum successionis generis, Italiam et alias provincias et terras regni et imperii, cum potestate omnimoda in eis, similiter habuerunt eo iure, quo ipse tenebat easdem, tanquam succedentes in locum ipsius. Ergo concluditur ex hoc, quod rex Rom. qui ex electione principum succedit in locum dicti Caroli, saltem quoad illas provincias ac terras quae sunt de regno et imperio, non tenet regnum et imperium hoc modo sumptum a papa et ab ecclesia Romana in feudum: et sic ex consequenti patet, quod iuramentum praedictum, iuramentum fidelitatis, id est, homagii non existit. Probatio enim praemissi articuli . . . scilicet quod iuramentum illud sit iuramentum fidelitatis, id est fidelis defensionis faciendae per regem ipsi ecclesiae Romanae patet ex tenore eiusdem iuramenti in praedicto cap. „Tibi domino“ comprehenso. Articuli enim in eiusdem iuramenti forma contenti, ad defensionem ecclesiae Romanae aut ad non offendendum dominum papam in persona, honore, vel rebus, pertinere noscuntur.

k) Konrad von Megenberg, De translatione Romani Imperii (1354). c. 29.

R. Scholz, Unbekannte kirchenpolitische Streitschriften aus der Zeit Ludwigs des Bayern. II 1914, S. 310.

Consequenter videndum est de iuramento, quod imperator summo pontifici prestare consuevit. Sit igitur conclusio octava principalis huius tractatus, quod iuramentum, quod prestat imperator domino papae et ecclesiae Romanae secundum formam in canone 63. di. Tibi domino (c. 33 D 63) contentam, est iuramentum fidelitatis id est homagii, quod feudatarius prestat domino suo. Et hanc conclusionem probo sic. Imperator tenet iurisdictionem temporalem, quam exercere habet per universum orbem, a manibus domini papae: ergo ratione imperii est feudatarius papae.<sup>1</sup>

<sup>1</sup> Hostiensis, Summa aurea lib. I de elect. 9: imperatori, qui tot beneficia recipit a Rom. episcopo et ipsius existit feudatarius.

## 3. Streit um den Marschallsdienst.

(Vgl. oben Nr. 17 d.)

## Nr. 34.

a) Bericht des Cencius camerarius.

Watterich, Pont. Rom. vitae II 342.

Anno incarnationis Dominicae MCLV indictione III, V. Idus Iunii, Pontificatus vero domini Adriani IV. anno I. Cum dominus Fredericus Romanorum rex Romam in imperatorem coronandus accedens in territorium Sutrinum cum exercitu advenisset, ivit ad eum de civitate Nepesina domnus Papa. Et cum Arnoldus tunc Coloniensis archiepiscopus et multi de principibus illius exercitus ei obviam exivissent, ad tentorium regis eum cum iocunditate nimia et competenti honorificentia conduxerunt. Ubi quia rex in stratoris officio exhibendo et tenendo streugam illum honorem domno Papae nequaquam exhibuit, qui ab antecessoribus eius Romanorum regibus ob apostolorum Principis reverentiam Romanis consueverat Pontificibus exhiberi: coeperunt, qui cum domno Papa venerant, contristari et de subtracta ei reverentia murmurare. Quocirca domnus Papa eum ad osculum non recepit. Unde remanente ibidem exercitu, totus sequens dies sub istius rei disceptatione decurrit, asserentibus cardinalibus, domnum imperatorem de antiqua consuetudine ac Romanae ecclesiae dignitate domno Papae stapedem debuisse tenere; propter quod quidam cardinales discesserunt. Tandem vero antiquioribus principum et illis, qui cum imperatore Lothario ad domnum Papam Innocentium venerant, requisitis et investigata ex relatione illorum et veteribus monumentis prisca consuetudine,<sup>1</sup> iudicio imperialis curiae decretum

<sup>1</sup> Vgl. Konstantinische Schenkung § 16, Heft I Nr. 45. Vgl. Vita Stephani II. c. 25: Liber pontificalis ed. Duchesne I 447: Ipseque (Pippinus) in palatio suo, in loco qui vocatur Ponticone, ad fere trium milium spatium, descendens de equo suo, cum magna humilitate terrae prostratus, una cum sua coniuge, filiis et optimatibus, eundem sanctissimum papam suscepit; cui et vice stratoris usque in aliquantum locum iuxta eius sellarem properavit. Vita Nicolai (858—867): Liber Pontificalis ed. Duchesne II 152, Excellentissimus quem (papam) cum vidisset Augustus (Ludovicus II.), obvius in adventum eius occurrit, frenumque Cesar equi pontificis suis manibus apprehendens, pedestri more, quantum sagittae iactus extenditur traxit. Bernoldi chronicon 1095, MG. SS. V 463: Chonradus rex filius Heinrici domno

est et communi principum favore firmatum, quod domnus imperator pro apostolorum Principis et sedis Apostolicae reverentia exhiberet stratoris officium et streugam domno Papae teneret. Tertio itaque die movit imperator exercitum et castra metatus est iuxta lacum, qui dicitur lanula, in territorio Nepesino. Ibique, sicut constitutum fuerat inter principes, domno Papa appropinquante tentorio suo, imperator per aliam viam obviam veniens descendit eo viso de equo et in conspectu exercitus in omni alacritate officium stratoris implevit et streugam ipsius tenuit et tunc primo eum ad osculum domnus Papa recepit.

b) Gerhoh von Reichersberg, De investigatione antichristi lib. (1162) I c. 72.

MG. Lib. III 393.

Imitetur rex vel imperator humilitatem Constantini piissimi principis sacerdotes tamquam patres et dominos honorantem summoque pontifici etiam stratoris officium exhibentem. Imitentur pontifices Silvestrum honorem eiusmodi non exigentem, sed ad honorem Dei et ecclesiae vix admittentem. . . At vero dum imperium christianum bipartitum factum est, Constantinopolitano siquidem se non immerito imperatorem scribente ideo, quod imperialis sedes per Constantinum eo translata sit, Francorum quoque regibus ex merito suae beneficentiae ac laborum erga Romanam urbem et ecclesiam ex complacito Romanorum in imperium promotis, potuit in illo complacito ex conventia utriusque partis etiam istud complacere, ut talis honorificentia de strepa seu freno tenendo Romanis pontificibus a regibus vel imperatoribus eisdem exhiberetur, sed quo fructu ipsi viderint. Nam mihi videtur talis obsequii exhibitio magis hinc superbiae, hinc vero indignationis et odii fomitem ministrare, quam ut aliquis inde fructus salutaris proveniat.

Vgl. Gerhoh von Reichersberg, De quarta vigilia noctis c. 12, MG. Lib. III 511—512.

papae Urbano Cremonam venienti obviam progreditur, eique stratoris officium exhibuit 4. Idus Aprilis. Deinde fecit ei fidelitatem iuramento de vita, de membris, et de papatu Romano. Domnus autem papa in filium sanctae Romanae ecclesiae recepit illum, eique consilium et adiutorium ad obtinendum regnum et ad coronam imperii acquirendam coram populo firmissime promisit, salva quidem iustitia illius ecclesiae, et statutis Apostolicis, maxime de investituris in spiritalibus officiis a laico non usurpandis. Vgl. auch MG. SS. XXVI 53 (Kaiser Lothar II.).

c) Sachsenspiegel Landrecht I 1, Nr. 10k.

e) Schwabenspiegel, Landrecht 1, Nr. 10n.

f) Kaiserkrönungsordo Nr. 25c; Ordo Cencius II, Heft I Nr. 39.

#### 4. Streit über den schriftlichen Verkehr zwischen Papst und Kaiser.

Nr. 35.

Otto von Freising et Ragewin, Gesta Friderici Imperatoris IV 18.

MG. SS. XX 455.

Princeps ergo (Fridericus I.) . . iubet notario, ut in scribendis cartis nomen suum praeferens, Romani episcopi subsecundet, et dictionibus singularis numeri ipsum alloquatur. Qui mos scribendi cum antiquitus in usu esset communi, a modernis ob quandam personarum reverentiam et honorem putatur immutatus.<sup>1</sup> Aiebat siquidem imperator, aut papam debere servare suorum antecessorum ad personam imperialem scribendi consuetudinem, aut se ipsum antiquorum principum morem in suis epistolis oportere observare.

#### 5. Streit über die Bedeutung der Krönung und Salbung.<sup>2</sup>

Nr. 36.

a) Wido, De controversia Hildebrandi et Heinrici (1084/85).

MG. Lib. I 467.

Unde dicunt nulli laico umquam aliquid de ecclesiasticis disponendi facultatem esse concessam, quamvis rex a

<sup>1</sup> Vgl. Heft I dieser Sammlung Nr. 4a, c; 5b; 11a, b, d (S. 23); dagegen stellt Ludwig d. Fr. 824 (MG. Ep. V 313) den Namen des Papstes voran; siehe auch Heft I Nr. 22a (Lothar an Leo 851), 23g; Papst Nikolaus I. an König Salomon der Britannier 17. Mai 866, Migne PL. 119., 970: Sed antequam ad haec consulta aliqua rescriberemus, convenerat nobis pro hoc quod nomen vestrum apostolico nomini scribendo praeposuisistis vos modesta increpatione corrigere.

<sup>2</sup> Vgl. E. Eichmann, Die rechtliche und kirchenpolitische Bedeutung der Kaisersalbung im Mittelalter, in Festschrift für Georg von Hertling S. 263 ff.

numero laicorum merito in huiusmodi separetur, cum oleo consecrationis inunctus sacerdotalis ministerii particeps esse cognoscitur.

b) Petrus Damiani, Liber gratissimus (ca. 1052) X.

MG. Lib. I 31.

Reges enim et sacerdotes, licet nonnulli eorum reprobi sint per notabilis vitae meritum, dii tamen et christi dici repperiuntur propter accepti ministerii sacramentum.

c) Petrus Damiani, Sermo 69.

Migne PL. 144., 899.

Quintum (sacramentum) est inunctio regis. Sublimis ista delibutio, quia sublimem efficit potestatem. Cum enim tantae nobilitatis sanguis, vel genere, vel electione consecratur in regem, religio cum nobilitate totis regni viribus convocatur. Astat hinc primatum, metropolitanorum et episcoporum gloriosa societas, illinc ducum, comitum, castellanorum non spernenda nobilitas. Procedit medius homo, super homines regnaturus, constipatus agmine personali. Ducitur denique ad aram excelsi Principis, principium regni sortiturus ab illo per quem reges regnant. Prius autem quam imperatoriis cultibus vestiatur, requiritur super eo cleri voluntas et populi, et manu propria iurat libertatem ecclesiarum. Ex tunc exiit vestimentis suis et oleo sanctificationis aspergitur, ut typico rore perfusus, coelestis unguenti plenitudine gloriatur. Induitur denique purpura, quod est regiae maiestatis insigne, gestans regni sceptrum in manibus ad regendum populum sanctum Dei. Ponitur et corona aurea super caput eius expressa signo sanctitatis, gloria honoris et ope fortitudinis (Eccli 45). Praefertur et gladius in oculis eius, ut cognoscat quia vindex est irae Dei, in hoc ipsum constitutus. Tantis igitur ac talibus mysteriis initiatus, reportatur ad palatium, a die illa et deinceps timendus pariter et amandus.

d) Tractatus Eboracensis IV. (1100).

MG. Lib. III 679.

Quare (rex) non est appellandus laicus, quia christus Domini est, quia per gratiam Deus est, quia summus rector est, quia pastor et magister et defensor et instructor sanctae ecclesiae summus est, quia fratrum suorum dominus est et

ab omnibus adorandus est, quia presul princeps et summus est. Nec ideo minor est dicendus pontifice, quia consecrat eum pontifex, quia plerumque fit, ut minores consecrent maiorem, inferiores superiorem, ut cardinales papam<sup>1</sup> et metropolitanum suffraganei. Quod ideo fit, quia non sunt auctores consecrationis, sed ministri. Deus enim operatur sacramentum, illi exhibent ministerium.

e) Honorius Augustodunensis, Summa gloria (ca. 1123) c. 33.

MG. Lib. III 79.

Quod si quis astruxerit has duas personas (sc. regem et sacerdotem) honore ac dignitate pares videri, eo quod hae solae personae in lege precipiuntur oleo sancto ungi, sciendum est, quod rex tantum oleo, sacerdos autem chrismate ungebatur et per omnia sua consecratio regis unctioni preferebatur; et in hoc etiam differebant, quod non rex a rege, sed a sacerdote consecrabatur.

f) Placidus von Nonantula, Liber de honore ecclesiae (1111) c. 73.

MG. Lib. II 599.

Quod enim quidam aiunt ideo hoc (sc. investituram) imperatori competere, quia sacro oleo in regnum unctus est, omnino veritati non congruit. Non enim ideo unctus est, ut episcopatus vel abbatias disponat, sed ut Spiritus sancti gratia, quae per unctionem illam signatur, confirmatus iustitiam Dei rectissime teneat.

g) Gerhoh von Reichersberg, De investigatione antichristi (1162) I c. 38.

MG. Lib. III 345.

Non bona similitudo de militibus gladium cingentibus.

Sed nec illud ad excusationem huius facti proficit, quod dicunt aliqui: sic a sacerdote posse minorem potestatem legitime ordinari, quae in vita et sanguine puniat nocentes, sicut reges quoque a sacerdotibus ordinantur et novi milites non sine sacerdotali benedictione ense precinguntur, nec tamen sanguis a rege vel militibus effusus sacerdotibus imputatur. Hoc, inquam, ad causam non facit. Nam neque episcopi reges creant vel ordinant, sed principium ac populi electione et acclamatione creatis aut ex genere prodeuntibus episcopi benedicunt et cum benedictione coro-

<sup>1</sup> Vgl. dagegen Ruffin, Summa D 23 (ed. Singer 49): non tamen per hoc ipsi cardinales episcopi maiores sunt apostolico, quia eum consecrant.

nam capitibus eorum imponunt; neque militibus novis sacerdotes ense tribuunt vel eos ense accingunt, sed accipientibus et precingentibus benedicunt, docentes eos, quod sui est officii, potestatibus sublimioribus subditos esse debere. Unde et apostolus reges et duces non Dei vel deorum — quod intelligi posset sacerdotum — sed hominum creaturam appellat dicens: Subiecti estote omni humane creature propter Deum. Nam quod crea turam appellat humanam evidenter expressit continuo sub iungens: Sive regi quasi precellenti sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Ex quibus verbis apparet, reges ac duces per sacerdotum benedictionem non creari, sed ex divina ordinatione per humanam electionem et acclamationem creatis, ut predictum est, sacerdotes Domini benedicunt, ut officium, ad quod divina ordinatione assumpti sunt, sacerdotali benedictione prosequente congruentius exequantur. Nam dum se sacerdotum manibus reges benedicendi humiliant, ipso humiliatis merito gratiam, quam pie postulant, per sacerdotum Deo placentium orationes consecuntur.

h) Hugo von St. Victor († 1141), De sacramentis II 2 c. 4.

Migne PL. 176., 418.

Unde in Ecclesia adhuc sacerdotalis dignitas potestatem regalem consecrat, et sanctificans per benedictionem, et formans per institutionem. Si ergo, ut dicit Apostolus, qui benedicit maior est et minor qui benedicitur (Hebr. 7), constat absque omni dubitatione quod terrena potestas, quae a spiritali benedictionem accipit, iure inferior existimetur.<sup>1</sup>

i) Innocenz III 1204.

§ 5 c. un. X 1, 15.

Unde in veteri testamento non solum ungebatur sacerdos, sed etiam rex et propheta . . . Sed ubi Iesus Nazarenus, quem unxit Deus Spiritu sancto, sicut in Actibus Apostolorum (c. 10) legitur, unctus est oleo pietatis prae consortibus suis, qui secundum Apostolum est caput ecclesiae, quae est corpus ipsius, principis unctio a capite ad brachium est translata, ut princeps extunc non ungetur in

<sup>1</sup> Vgl. Synode von 881 apud Macram, Labbé IX 337: tanto est dignitas pontificum maior quam regum, quia reges in culmen regum sacran- tur a pontificibus, pontifices autem a regibus consecrari non possunt.

capite, sed in brachio, sive in humero, vel in armo, in quibus principatus congrue designatur, iuxta illud, quod legitur: „Factus est principatus super humerum eius, (Is. 9, 6) etc.“ Ad quod etiam significandum Samuel fecit poni armum ante Saul, cui dederat locum in capite ante eos, qui fuerunt invitati. In capite vero pontificis sacramentalis est delibutio conservata, quia personam capitis in pontificali officio repraesentat. Refert autem inter pontificis et principis unctionem, quia caput pontificis chrismate consecratur, brachium vero principis oleo delinitur, ut ostendatur, quanta sit differentia inter auctoritatem pontificis et principis potestatem.

k) Innocenz III. Registr. de negotio Romani imperii n. 18.

Migne PL. 216., 1012.

Licet autem tam reges quam sacerdotes ungantur ex lege divina, reges tamen ununtur a sacerdotibus, non sacerdotes a regibus. Minor est autem qui ungitur quam qui ungit, et dignior est ungens quam unctus.

l) Hostiensis, Summa aurea I 15 n. 8.

Si quis (rex) de novo inungi velit, consuetudo obtinuit, quod a Papa petatur . . . nam ab illo omnis dignitas ecclesiastica originem sumit.

Vgl. Nr. 44a.

m) Entwurf der Bulle Urbans IV. Qui celum 1263 n. 6.

MG. Const. II 525.

. . . electione taliter celebrata electus, si electioni consenserit, ante Aquisgrani per dies aliquos facta mora infra annum et diem post celebratam electionem eandem, quando electus voluerit, per Coloniensem archiepiscopum, ad quem id ex officio suo spectat, inungitur, consecratur et etiam coronatur. Quo facto cuilibet via praecluditur contra electionem vel electum iam regem Romanorum effectum dicendi aliquid vel etiam opponendi; sed idem electus predicto modo inunctus, consecratus et coronatus pro rege habetur et ei tamquam regi debet a subditis et vassallis imperii obediri, suo more homagia et fidelitatis iuramenta praestari . . .

n) Enzyklika Friedrichs II. Etsi causae nostrae iustitiam von Juli—September 1245.

MG. Const. II 362.

n. 2. Nam etsi nos nostrae catholicae fidei debito suggerente manifestissime fateamur, collatam a Domino sacrosanctae Romanae sedis antistiti plenariam in spiritualibus potestatem, . . . ut quod in terra ligaverit sit ligatum, et quod solverit sit solutum, nusquam tamen legitur divina sibi vel humana lege concessum, quod transferre pro libito possit imperia aut de puniendis temporaliter in privatione regnorum regibus aut terrae principibus iudicare. Nam licet ad eum de iure et more maiorum consecratio nostra pertineat, non magis ad ipsum privatio seu remotio pertinet quam ad quoslibet regnorum prelatos, qui reges suos, prout assolet, consecrant et inungunt.

o) Aus einem Memoriale für Heinrich VII. 1312/13.

MG. Const. IV 1311.

Sed adhuc instatur, quod maius sit sacerdotium imperio . . . , quoniam papa inungit imperatorem et eum coronat . . . Sed hoc non obstat, quia non ideo sequitur sacerdotium esse maius imperio, quia eum scilicet imperatorem papa inungit. Nec enim maior fuit puer Elysey Iheu filio Iosaphat filii Nansi, quem unxit in Ramoth Galaad iussu Elisey in regem super Israel, quantum ad temporalia. Unctio enim non facit maiorem eum qui ungit eo qui ungitur. Sic Panormitanus archiepiscopus ungit regem Siciliae et coronat eum et tamen sicut manifestum est, non est eo in temporalibus maior. Iterum quamvis papa non teneatur inungere fatuum vel haeticum in imperatorem, ut dicit dicta decretalis „Venerabilem“, tamen non ideo sequitur, quod sola electio Romani principis ei ius non tribuat imperandi. Quemadmodum enim sola papae electio ei omnem tribuit potestatem et administrationem, quia nemo est eo superior in spiritualibus, ita quidem et Romano principi sola electio eius omnem tribuit potestatem, quia non (est) eo superior in temporalibus.

p) Klemens VI. 6. Nov. 1346 Approbationsakten Karls IV.

MG. Const. VIII 157.

Nobilitas et eminentia istius papalis dignitatis ad imperialem probatur directe, sicut probat apostolus ad Hebr. VII, Melchisedech fuisse maiorem ipso Abraham; unde

arguit sic: „Sine ulla contradictione quod minus est, a maiore benedicitur“, sed Melchisedech benedixit Abrahe, ergo Melchisedech maior et dignior. Ego autem accipiens eandem maiorem, quam accepit apostolus, accipio aliam minorem, videlicet quod papa habet benedicere, consecrare, inungere et coronare imperatorem, ergo maior eo.

q) Baldus, Super decretalibus, ad v. Venerabilem (c. 34 X 1, 6) n. 6.

Haec consecratio (imperatoris) est umbra veteris testamenti et ordo ecclesiasticus, sed non sacer.

r) Lupold von Bebenburg, De iure regni et imperii (1340), c. 11.

S. Schard l. c. p. 377.

Si vellemus sequi pronunciationem principum Germaniae, de qua notat Hostiensis Extra de verb. sig. c. quibusdam, scilicet quod unctio non det nisi nomen imperatoris,<sup>1</sup> et nunc haberemus dicere, quod promotio regis Romanorum ad imperatorem esset verbalis et non realis. Sed quia videtur quodammodo absurdum, ne dicam ridiculum, quod haec promotio ad imperium, quae fit per unctionem et coronationem imperialem, fiat propter nomen imperatoris tantummodo consequendum, idcirco ad hanc oppositionem aliter respondeo: . . . Dico enim salvo semper iudicio saniori, quod imperator post unctionem et coronationem huiusmodi consequitur potestatem imperialem in omnibus regnis et provinciis, presertim occidentalibus, quae non erant sub potestate Caroli M. ante tempus translationis praedictae et quae adhuc non sunt sub potestate imperii de facto, ita quod potest in eis spurios legitimare quoad temporalia, infames ad famam restituere, leges condere et his similia facere, quae de iure sunt solis imperatoribus reservata. Item potest a regibus et principibus eorundem regnorum ac etiam provinciarum subiectionem exigere, quod ante unctionem et coronationem facere non poterat, nisi in his provinciis ac terris, quae erant sub potestate et dominio dicti Caroli ante tempus eiusdem translationis et quae adhuc hodie subiectae sunt regno et imperio; in his potest potestatem imperialem exercere et praemissa facere ante unctionem et coronationem imperialem saltem virtute consuetudinis.

<sup>1</sup> Vgl. Nr. 37h.

s) Konrad von Megenberg, De translacione Romani Imperii (1354), c. 18.

R. Scholz, Unbekannte kirchenpolitische Streitschriften II 305.

Quia vero sepius de unccione et coronacione imperiali principum Romanorum facta est mencio, igitur nunc de illa est videndum. Ubi notandum est, quod opinio fuit domini Hostiensis extra de verb. sig. super quibusdam,<sup>1</sup> quod coronacio et unccio imperialis non daret nisi nomen imperatoris. Sed hec opinio non placet meo domino,<sup>2</sup> quia dicitur in canone 23 di. in nomine domini,<sup>3</sup> versu eligatur autem, ibi: et futurus imperator etc., quod primo quis efficitur rex et postmodum futuro tempore imperator. Item patet extra c. Venerabilem § verum ibi: eligendum in regem in imperatorem postea promovendum. Item de iureiur. c. Romani versu post que dicitur: Ego enim Rex Romanorum et futurus imperator. Ex quibus dictis patere videtur, quod primo quis efficitur rex et postea futuro tempore imperator. Sed absurdum et ridiculum videtur, quod hec promotio ad imperium, que fit per unccionem et coronacionem imperialem, fiat propter nomen imperatoris tantummodo consequendum. (Es folgt ein Zitat aus Lupold, vgl. S. 118 Zeile 17 bis zum Schlusse.) Unde unccio et coronacio imperialis aliquid realitatis addit super nomen imperatoris, alias enim, nisi sic dicamus, non posset dici rex Romanorum promoveri proprie loquendo ad imperium nec dici proprie futurus imperator, et esset lex imposita verbis et non rebus.

## 6. Streit über die Bedeutung der Königswahl.<sup>4</sup>

### Nr. 37.

a) Friedrichs I. Encyklika 1157 (oben Nr. 32d).

„Cumque per electionem principum a solo Deo regnum et imperium nostrum sit . . .“

<sup>1</sup> Zu c. 36 X 5. 40.    <sup>2</sup> Lupold von Bebenburg, vgl. oben S. 118.

<sup>3</sup> c. 1 D. 23.

<sup>4</sup> Vgl. insbes. M. Krammer, Der Reichsgedanke des staufischen Kaiserhauses. 1908. H. Bloch, Die staufischen Kaiserwahlen und die Entstehung des Kurfürstentums. 1911. Werminghoff, Verfassungsgeschichte § 23. A. Meister, Deutsche Verfassungsgeschichte S. 88. M. Buchner, Die Entstehung und Ausbildung der Kurfürstenfabel, Hist. Jahrbuch 1912 S. 54 ff., 256 ff.

b) Rufinus zu c. 1 D. 22 ed. Singer 47.

Per hoc ergo videtur, quod summus Pontifex, qui beati Petri est vicarius, habet iura terreni regni. Sed animadvertendum est quod ius aliud est auctoritatis, aliud amministrationis. Et quidem ius auctoritatis quemadmodum in episcopo, ad cuius ius omnes res ecclesiasticae spectare videntur, quia eius auctoritate omnia disponuntur; ius autem amministrationis sicut in yconomo, iste enim habet ius amministrandi, sed auctoritate caret imperandi: quicquid aliis praecipit, non sua, sed episcopi auctoritate indicit. Summus itaque patriarcha quod auctoritatem ius habet terreni imperii, eo scil. modo quia primum sua auctoritate imperatorem in terreno regno consecrando confirmat et post tam ipsum quam reliquos seculares istis secularibus abutentes sola sua auctoritate pene addicit et ipsos eosdem post penitentes absolvit. Ipse vero princeps post ipsum auctoritatem habet seculares regendi et preter ipsum officium amministrandi; etenim nec apostolicum secularia nec principem ecclesiastica procurare oportet.

c) Huguccio zu c. 24 D 93.

Eligit quidem populus imperatorem, sed non consecratur nisi a papa; et credo, quod ex electione populi et principum sit imperator, licet non sic appelletur, antequam accipiat coronam a papa.

d) Huguccio zu c. 6 D 96, v. cum ad verum.

Ex hiis omnibus contrariis introductis colligi videtur, quod imperator potestatem gladii et imperium habeat ab apostolico et quod eum faciat imperatorem papa et quod potest eum deponere. Ego autem credo, quod imperator potestatem gladii et dignitatem habet imperialem non ab apostolico, sed a principibus et populo per electionem ut Di. 93 legimus; ante enim fuit imperator quam papa, ante imperium quam papatus.

e) Sachsenspiegel, Landrecht III 52.

Zeumer a. a. O. 63.

Die Dudischen sullen durch recht den künig kiesen. Swen die gewihet wirt von den bischopphen, die dazu gesatz sin, unde uph den stul zu Aken kumt, so hat her konincligen namen. Swen ine der babis wiet, so hat her keiserlichen namen.

f) Schwabenspiegel, Landrecht 118.

Zeumer a. a. O. 109.

Diu Tiuschen kiesent den kiunig. Daz erwarb in der kiunig Karle, else diz buoch seit.

Swenne er gewihet wirt mit der willen, die in erwelt hant, so hat er kiuniglichen gewalt unde namen. Als in der babest gewihet, so hat er volleclichen dez riches gewalt unde keiserlichen namen.

g) Sinibald von Fiesco (Innocenz IV.), Commentaria super libros quinque decretalium I 6 c. 34.

Credimus tamen, quod si Imperator coronam in loco debito recipere non possit, nihilominus auctoritatem ministrandi ab archiepiscopo Coloniensi posset recipere, vel suam auctoritatem habet ex electione.

h) Reichsweistum von 1252 über die Wirkung der Königswahl.<sup>1</sup>

Hostiensis, Lectura sive apparatus super quinque libris decretalium zu c. 26 X 5, 40 v. imperatorum et regum:

Rex autem romanorum ex quo electus est in concordia eandem potestatem habet quam et imperator, nec dat ei inunctio imperialis nisi nomen, sicut vidi in Almania per principes iudicari. Sed quicquid iudicaverint, non videtur quod hanc potestatem habeat, quousque per sedem apostolicam fuerit approbatus; alioquin in potestate ipsorum esset haereticum vel alium minus idoneum promovere quod esse non debet (c. 34 X 1, 6).

i) Durandus, Speculum iuris lib. 2, part. 1 § 9 n. 18.

Imperator enim ex sola Principum electione, etiam ante confirmationem aliquam, verus est Imperator et consequitur ius administrandi.

k) Memoriale für Heinrich VII.

Vgl. oben Nr. 36o.

l) Johannes Teutonicus, zu c. 11 D 95 v. divinitus.

Non ergo a Papa, nam imperium a solo Deo est, ut 23. qu. 4 quaesitum, nam a caelesti maiestate habet gladii potestatem.

<sup>1</sup> Karl Zeumer in Neues Archiv 30. (1905), 403 ff.

m) Johannes Teutonicus zu c. 3 C. 15 qu. 6 v. deposuit.

Ergo Papa deponit Imperatorem . . Argumentum contra 93. dist. legimus in fine et 96. dist. cum ad verum. Solum dicitur deposuisse, qui deponentibus consensit.

n) Weistum von Rense, Nr. 52.

o) Reichsgesetz Licet iuris, Nr. 53.

p) Lupold von Bebenburg, De iure regni et imperii (1340), c. 7.  
S. Schard l. c. p. 360.

Rex Romanorum ex electione principum electorum in concordia vel a maiori ipsorum parte de se facta succedit in locum Caroli Magni et Otthonis primi, saltem quoad Italiam et alias provincias, quae adhuc sunt de regno et imperio. Et hi duo . . in Italia et aliis provinciis regni ante unctionem et coronationem imperialem plenariam potestatem administrationis exercebant ut reges, quam post unctionem et coronationem huiusmodi exercebant ut imperatores, nec aliquas provincias vel terras de novo ex dictis unctione et coronatione consequantur nec etiam hodie regnum et imperium habet plures provincias vel terras, quam tunc habuerit Carolus vel Ottho, ut predictum est. Ergo rex Romanorum ex electione concordii vel a maiori parte principum electorum de se facta, succedens in locum Caroli et Otthonis predictorum, habet plenam potestatem quoad administrationem regni in Italia et in aliis provinciis regni ante unctionem et coronationem imperialem ut rex, quam etiam post unctionem et coronationem habet huiusmodi imperator.

## 7. Rom kaiserliche oder päpstliche Stadt?

Nr. 38.

Vgl. Konstantinische Schenkung § 18,<sup>1</sup> Heft I Nr. 45 S. 116.

a) Friedrich I. 1159.

MG. Const. I 250.

Legatos ab imperatore ad Urbem non esse mittendos affirmat (papa), cum omnis magistratus inibi beati Petri

<sup>1</sup> Vgl. auch Johann VIII. 878, MG. Ep. VII 70: urbis Romae potestatem a piis imperatoribus b. Petro . . eiusque vicariis traditam. Hincmar von Reims, Heft I Nr. 45 d; Petrus Damiani ebenda Nr. 45 g.

sit cum universis regalibus. Haec res, fateor, magna est et gravis graviorique et maturiori egens consilio. Nam cum divina ordinatione ego Romanus imperator et dicar et sim, speciem tantum dominantis effingo et inane utique porto nomen ac sine re, si urbis Romae de manu nostra potestas fuerit excussa.

b) Aus einem tractatus de coronatione imperatoris des 14. Jhdts.  
(Cod. Mon. Lat. Nr. 5825 f. 289.)

G. Waitz, Formeln der deutschen Königs- und der röm. Kaiserkrönung S. 53 ff.

Postquam vero coronationem, approbationem et confirmationem recepit, idem imperator stare non debet nisi per unam noctem, et deinde recedere sequente die coronationis ipsius, et de Urbe recedens et exiens ascendit montem qui dicitur et appellatur mons Marii prope ecclesiam sancti Petri extra muros per duo miliaria.

c) Versprechen Karls IV.

MG. Const. VIII 14.

Ad evitandum quoque occasionem veniendi contra predicta vel aliquod predictorum promitto ut supra, quod ante diem michi pro coronatione mea imperiali prefigendam non ingrediar urbem Romanam, quodque eadem die, vero et legitimo impedimento cessante, imperialem recipiam coronam et quod, sive illa die sive vere ac legitime impeditus die alia dictam recipiam coronam, ipsa die, qua coronam huiusmodi recepero, dictam urbem vero et legitimo impedimento cessante exhibeo cum tota etiam, quantum in me fuerit, gente mea et cessante etiam impedimento legitimo continuatis moderatis dietis extra totam terram Romane ecclesie me recto gressu transferam versus terras imperio subiectas, numquam postmodum ad urbem, regna predicta Sicilie, Sardinie et Corsice, provincias, civitates vel alias terras Romane ecclesie, nisi de speciali licencia sedis apostolice accessurus. Iuro quoque super sancta Dei euangelia per me corporaliter manu tacta, quod super hiis vel eorum aliquo nullum impedimentum fingam aut prestabo aut fingi aut prestari per alium vel alios, quantum in me fuerit, permittam.

## 8. Der Sieg des Papsttums.

## Nr. 39.

a) Innocenz III., Reg. super negotio Romani Imperii n. 29.

Migne PL. 216., 1025.

Interest apostolicae sedis diligenter et prudenter de imperii Romani provisione tractare, cum imperium noscatur ad eam principaliter et finaliter pertinere: principaliter, cum per ipsam et propter ipsam de Graecia sit translatum, per ipsam translationis actricem, propter ipsam melius defendendam: finaliter, quoniam imperator a summo pontifice finalem sive ultimam manus impositionem promotionis propriae accipit, dum ab eo benedicitur, coronatur et de imperio investitur. Quod Henricus optime recognoscens, a bonae memoriae Coelestino papa praedecessore nostro, post susceptam ab eo coronam, cum aliquantulum abscessisset, rediens tandem ad se, ab ipso de imperio per palleam auream petiit investiri.<sup>1</sup>

b) Bulle Venerabilem Innocenz' III. vom März 1202.

MG. Const. II 505; c. 34 X 1, 6.

Verum nos, qui secundum apostolicae servitutis officium sumus singulis in iustitia debitores, sicut iustitiam nostram ab aliis nolumus usurpari, sic ius principum nobis nolumus vendicare. Unde illis principibus ius et potestatem eligendi regem in imperatorem postmodum promovendum recognoscimus, ut debemus, ad quos de iure ac antiqua consuetudine noscitur pertinere; presertim cum ad eos ius et potestas huiusmodi ab apostolica sede pervenerit, quae Romanum imperium in persona magnifici Karoli a Graecis transtulit in Germanos. Sed et Principes recognoscere debent et utique recognoscunt, quod ius et auctoritas examinandi personam electam in regem et promovendam ad imperium ad nos spectat, qui eam inungimus, consecramus et coronamus. Est enim regulariter ac generaliter observatum, ut ad eum examinatio personae pertineat, ad quem impositio manus spectat. . . Quod autem, cum in electione vota principum dividuntur, post ammonitionem et expectionem alteri partium favere possimus, maxime postquam a nobis unctio, consecratio et coronatio

<sup>1</sup> Vgl. Nr. 32.

postulantur, sicut utraque pars a nobis multotiens postulavit, ex iure patet pariter et exemplo. Numquid enim, si principes ammoniti et exspectati vel non poterint vel noluerint convenire, apostolica sedes advocato et defensore carebit eorumque culpa ipsi redundabit in penam?

c) Innocenz III., Sermo in festo D. Silvestri Pontificis Maximi.

Migne PL. 217., 481.

Fuit ergo B. Silvester sacerdos, non solum magnus, sed maximus, pontificali et regali potestate sublimis. Illius quidem vicarius, qui est „Rex regum et Dominus dominantium“ (Apoc. 19), „Sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech“ (Ps. 109), ut spiritualiter possit intelligi dictum ad ipsum et successores illius, quod ait beatus Petrus apostolus, primus et praecipuus praedecessor ipsorum: „Vos estis genus electum, regale sacerdotium“ (1 Petr. 2). Hos enim elegit Dominus, ut essent sacerdotes et reges. Nam vir Constantinus egregius imperator, ex revelatione divina per beatum Silvestrum fuit a lepra in baptismo mundatus, Urbem pariter et senatum cum hominibus et dignitatibus suis, et omne regnum Occidentis ei tradidit et dimisit, secedens et ipse Byzantium, et regnum sibi retinens Orientis. Coronam vero capitis sui voluit illi conferre: sed ipse pro reverentia clericalis coronae, vel magis humilitatis causa, noluit illam portare; verumtamen pro diademate regio utitur aurifrigio circulari. Ex auctoritate pontificali constituit patriarchas, primates, metropolitanos, et praesules; ex potestate vero regali, senatores, praefectos, iudices et tabelliones instituit. Romanus itaque pontifex in signum imperii utitur regno, et in signum pontificii utitur mitra; sed mitra semper utitur et ubique; regno vero, nec ubique, nec semper: quia pontificalis auctoritas et prior est, et dignior et diffusior quam imperialis.

d) Innocenz III., Sermo III. in consecratione Pontificis.

Migne PL. 217., 665.

(Deus) In signum spiritualium contulit mihi mitram, in signum temporalium dedit mihi coronam; mitram pro sacerdotio, coronam pro regno, illius me constituens vicarium, qui habet in vestimento et in femore suo scriptum: „Rex regum et dominus dominantium“: sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech.

e) Hugo von St. Victor, De sacramentis II 2 c. 4.

Migne PL. 176., 418.

Nam spiritualis potestas terrenam potestatem et instituere habet, ut sit, et iudicare habet si bona non fuerit. Ipsa vero a Deo primum instituta est, et cum deviat, a solo Deo iudicari potest, sicut scriptum est: spiritualis homo diiudicat omnia, et ipse a nemine iudicatur. Quod autem spiritualis potestas (quantum ad divinam institutionem spectat) et prior sit tempore et maior dignitate, in illo antiquo Veteris instrumenti populo manifeste declaratur, ubi primum a Deo sacerdotium institutum est; postea vero per sacerdotium (iubente Deo) regalis potestas ordinata.

Vgl. Bulle Unam Sanctam, Nr. 10p.

f) Summa Coloniensis ca. 1170.

J. F. von Schulte, Zur Gesch. der Lit. über das Dekret Gratians, 2. Beitr. Wiener S. B., phil.-hist. Kl. 64., 111.

Hic quaeritur, an a saeculari tribunali in causis pecuniariis ad papam appellari possit. Videtur hoc inde, quod papa verus imperator est. Non dedignatur etiam imperator sanctam Romanam ecclesiam matrem suam agnoscere, cuius advocatus est et a qua imperiale decus accepit.

g) Summa Parisiensis.

Ebenda 132.

Possumus dicere, quod ipse (Papa) est verus imperator et imperator vicarius eius.

h) König „von des Papstes Gnaden“.

Otto IV. Ende Juli 1208.

MG. Const. II 32.

Reverendo in Christo patri ac domino, carissimo domino Innocentio Dei gratia sanctae Romanae sedis summo pontifici Otto eadem gratia et sua Romanorum rex et semper augustus debitam subiectionem ac reverentiam cum filiali dilectione.

Friedrich II. 1. Juli 1216.

MG. Const. II 72.

Sanctissimo in Christo patri et domino suo Innocentio sacrosanctae Romanae ecclesiae summo pontifici F. Dei et

sui gratia Romanorum rex et semper augustus et rex Siciliae cum filiali subiectione debitam in omnibus apostolicae sedi obedientiam et reverentiam.

i) Gervasius von Tilbury, Otia imperialia II c. 18

(an Kaiser Otto IV. nach dessen Absetzung [1210] gerichtet).

MG. SS. XXVII 378.

Ex hoc igitur tempore (i. e. Karoli Magni) Grecorum imperio evanescente, nomen rediit imperatoris ad quasdam partes Occidentis; ex quo quaedam Romani imperii facta est confusio, dum, duobus nomen unum tenentibus, divisio minuit potestatem; et sicut a solo Deo Grecorum pendet imperium, ita a sede tantum Romana papa Occidentis asserit pendere imperium. Ecce enim haec nova et inusitata commutatio facit, ut papa solus insignia ferat imperialia, et imperator Romanus nomen imperiale teneat sub vulgaribus aliorum regum insignibus. Papa dominum urbis et imperialis sedis se monstrat, et imperator sub nomine dominationis papae minister dicitur, et in temporalibus apostolorum executor hic, ille vicarius Christi et apostolorum successor nominatur . . . Apud principes Germaniae imperatoris est electio, apud papam electi confirmatio ac consecratio, et nova discretione imperator nominatur ut dominus, consecratur ut non dominus. Nempe imperialia non accipit insignia, qui sibi soli papa collata conservat, et ad altare modicum in dextro latere basilicae sancti Petri consecratur a solo papa, cum e diverso papa imperatoris insignia teneat et ad altare tantum sancti Petri inunctionem suscipiat. Sane Constantinopolitanus imperator, sede mutata, non dignitate, suo iure, non papali beneficio, imperialia gestat insignia, et velut profusae largitionis donator, donatarium suum summum pontificem non evocat in adiutorium, domi habens suae dignitatis plenitudinem. c. 19 (p. 382). Profecto imperium tuum non est, sed Christi, non tuum, sed Petri. Non a te tibi obvenit, sed a vicario Christi et successore Petri. Non tibi perpetuabitur, quod nec tu cum illo aut in illo eris perpetuus. . . Ipse (papa) tibi et tuus iudex est, a nemine mortali iudicandus. . . Nihil amittis, quod tuum est, si dimittis Petro quod suum est. Petro Constantinus imperium Occidentis dedit, cui servierat regnum Francorum, regnum Teutonum, regnum Brittonum, quin immo totus Occidens et totus circumfusus orbis. Hic Petro voluit sub Christo totum servire

Occidentem. Beneficio papae, non suo, Roma tempore Karoli nomen recepit imperii; beneficio papae Francorum regi confertur imperium; beneficio papae regi nunc Teutonum et non Francorum debetur imperium. Nec cedit imperium cui vult Teutonia, sed cui cedendum decrevit papa.

k) Päpstliches Schiedsrichteramt.

Aus der Dekretale Novit Innocenz' III. 1204, c. 13 X 2, 1 (ed. Friedberg).

.. Non ergo putet aliquis, quod iurisdictionem aut potestatem illustris regis Francorum perturbare aut minuere intendamus, quum ipse iurisdictionem et potestatem nostram nec velit nec debeat etiam impedire, quumque iurisdictionem propriam non sufficiamus explere, cur alienam usurpare vellemus? Sed quum Dominus dicat in evangelio: „si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si te autem non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic ecclesiae; si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus“, et rex Angliae, sicut asserit, sit paratus sufficienter ostendere, quod rex Francorum peccat in ipsum, et ipse circa eum in correctione processit secundum regulam evangelicam, et tandem, quia nullo modo profecit, dixit ecclesiae: quomodo nos, qui sumus ad regimen universalis ecclesiae superna dispositione vocati, mandatum divinum possumus non exaudire, ut non procedamus secundum formam ipsius, nisi forsitan ipse coram nobis vel legato nostro sufficientem in contrarium rationem ostendat? Non enim intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum spectat iudicium, . . . sed discernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus et debemus. . . . Quum enim non humanae constitutioni, sed divinae legi potius innitamus, quia potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo: nullus, qui sit sanae mentis, ignorat, quin ad officium nostrum spectet de quocunque mortali peccato corripere quemlibet Christianum, et, si correctionem contempserit, ipsum per districtiorem ecclesiasticam coercere. Quod enim debeamus corripere ac possumus, ex utraque patet pagina testamenti, quum clamet Dominus per Prophetam: „Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuncia populo meo scelera

eorum“ et subiungat ibidem: „Nisi annuntiaveris impio impietatem suam, ipse in iniquitate, quam operatus est, morietur; sanguinem autem eius de manu tua requiram.“ Apostolus quoque nos monet corripere inquietos, et alibi dicit idem: „Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.“ Quod autem possumus et debeamus etiam coercere, patet ex eo, quod inquit Dominus ad Prophetam, qui fuit de sacerdotibus Anathot: „Ecce constitui te super gentes et regna, ut evellas et destruas, et dissipes, et aedifices, et plantes.“ Constat vero, quod evellendum, destruendum et dissipandum est omne mortale peccatum. Praeterea cum Dominus claves regni coelorum B. Petro tradidit, dixit ei: „Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis.“ Verum nullus dubitat, quin omnis mortaliter peccans apud Deum sit ligatus. Ut ergo Petrus divinum iudicium imitetur, ligare debet in terris quos ligatos esse constat in coelis. Sed forsitan dicetur, quod aliter cum regibus, et aliter cum aliis est agendum. Ceterum scriptum novimus in lege divina: „Ita magnum iudicabis, ut parvum, nec erit apud te acceptio personarum“, quam B. Iacobus intervenire testatur, „si dixeris ei, qui indutus est veste praeclara, tu sede hic bene; pauperi autem, tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum“. Licet autem hoc modo procedere valeamus super quolibet criminali peccato, ut peccatorem revocemus a vitio ad virtutem, ab errore ad veritatem, praecipue tamen quum contra pacem peccatur, quae est vinculum caritatis. . . . Postremo quum inter reges ipsos reformata fuerit pacis foedera, et utrinque praestito proprio iuramento firmata, quae tamen usque ad tempus praetaxatum servata non fuerint, numquid non poterimus de iuramenti religione cognoscere, quod ad iudicium ecclesiae non est dubium pertinere, ut rupta pacis foedera reformentur?

1) Versprechungen Albrechts I. vom 17. Juli 1303 an Bonifaz VIII.  
MG. Const. IV 155.

n. 3. Recognoscens igitur, quod Romanum imperium per sedem apostolicam de Graecis translatum est in persona magnifici Caroli in Germanos, et quod ius eligendi Romanorum regem in imperatorem postmodum promovendum certis principibus ecclesiasticis et saecularibus est ab eadem sede concessum, a qua reges et imperatores, qui

fuerunt et erunt pro tempore, recipiunt temporalis gladii potestatem ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, pia devotione et sincero corde profiteor, quod Romanorum reges in imperatores postmodum promovendi per sedem eandem ad hoc potissime ac specialiter assumuntur, ut sint sanctae Romanae ecclesiae advocati, catholicae fidei ac eiusdem ecclesiae praecipui defensores.<sup>1</sup>

<sup>1</sup> Über die Natur des von Albrecht I. geleisteten Eides (Vasalleneid?) vgl. A. Niemeier, Untersuchungen über die Beziehungen Albrechts I. zu Bonifaz VIII. 1900; ferner c. un. in Clem. 2, 9: Albertus rex Romanorum . . . Bonifacio Papae VIII. . . et alii . . . Romanorum reges diversis nostris praedecessoribus iuramentum fidelitatis et obedientiae praestiterunt. Dagegen W. Renken, Hat König Albrecht dem Papste Bonifaz VIII. einen Lehenseid geleistet? 1909.



### III. Der Hierokratismus.

#### 1. Die hierokratische Theorie.<sup>1</sup>

Nr. 40.

a) (Historische Begründung.) Schreiben Gregors IX. an Friedrich II. vom 23. Oktober 1236.

MG. Ep. saeculi XIII e regestis Pontificum Roman. selectae I 600.

Illud autem minime preterimus, toti mundo publice manifestum, quod predictus Constantinus, qui singularem super universa mundi climata monarchiam obtinebat, una cum toto senatu et populo, non solum Urbis sed in toto imperio Romano constituto, unanimi omnium accedente consensu, dignum esse decernens, ut sicut principis apostolorum vicarius in toto orbe sacerdotii et animarum regebat imperium, sic in universo mundo rerum obtineret et corporum principatum, et existimans illum terrena debere sub habena iustitiae regere, cui Dominum noverat in terris celestium regimen commisisse, Romano pontifici signa et scepra imperialia, Urbem cum toto ducatu suo, quam sparsis in ea pecuniis nobis turbare moliris, illius sequens exemplum qui absorbens fluvium non miratur, et sperans quod Iordanis influat in os eius, suo est voto fraudatus, nec non et imperium curae perpetuo tradidit, et nefarium reputans, ut ubi caput totius christianae religionis ab imperatore celesti disponitur, ibidem terrenus imperator potestate aliqua fungeretur, Italiam apostolicae dispositioni relinquens, sibi novam in Graecia mansionem elegit; de qua postmodum in persona prefati magnifici Caroli, qui iugum a Romana ecclesia vix ferendum imposuit pia debere docuit devotione portari, sedes apostolica

<sup>1</sup> W. Martens, Die Beziehungen der Überordnung, Nebenordnung und Unterordnung zwischen Kirche und Staat. 1877. S. 7 ff. F. Maassen, Neun Kapitel über freie Kirche und Gewissensfreiheit. 1876. S. 95 ff.

transferens in Germanos, predecessibus tuis, sicut et in tua persona recolis esse factum, in consecrationis et inunctionis munere, nihil de substantia suae iurisdictionis imminuens, imperii tribunal supposuit et gladii potestatem in subsecuta coronatione concessit; ex quo iuri apostolicae sedis et non minus fidei ac honori tuo derogare convinceris, dum factorem proprium non agnoscis.

b) Innocenz IV., Ende des Jahres 1245, über die von Friedrich II. vorgebrachten Beschwerden.<sup>1</sup>

E. Winkelmann, Acta imperii inedita II 697.

— — Ait nimirum, se non citatum legitime nec convictum, perverso iuris ordine, criminaliter dampnatum a iudice, qui eum sic nequiverit iudicare, non desistens iuxta solitum apostolice preminentie vacuare primatum, quem beatum Petrum, fidelium omnium capud, ac successores ipsius accepisse constat, non ab homine, sed a deo, cuius auctoritatem profecto deminuit nec deum dei filium heredem universorum et dominum cognoscit, quisquis ab ipsius ditione vicarii se contendit exemptum. Generali namque legatione in terris fungimur regis regum, qui non solum quemcumque, sed ne quid de rebus aut negociis intelligeretur exceptum, sub neutro genere generalius universa complectens, etiam quodcumque ligandi super terram pariter et solvendi apostolorum principi nobisque in ipso plenitudinem tribuit potestatis, etiam ut doctor gentium huiusmodi plenitudinem non restringendam ostenderet, dicens: „An nescitis, quoniam angelos iudicabimus? Quanto magis secularia!“ Nonne ad temporalia quoque porrectam exposuit datam eidem in angelos potestatem, ut hiis intelligantur minora subesse, quibus subdita sunt maiora? Non minoris quidem, immo longe maioris potestatis esse credendum est eternum Christi pontificium in fundatissima Petri sede sub gratia ordinatum, quam inveteratum illud, quod figuris legalibus temporaliter serviebat, et tamen dictum est a deo illius temporis pontificatu fungenti: „Ecce constitui te super gentes et regna, ut evellas et plantes“, non solum utique super gentes, sed etiam super regna, ut potestas eiusdem innotesceret tradita de utrisque. Hac potestate usi leguntur plerique pontifices veteris testamenti, qui a

<sup>1</sup> Vgl. die Schreiben Friedrichs II. „Etsi causae nostrae iustitiam“ vom 24. Juli 1245, MG. Const. II 361, und „Illos felices describit“ von 1245, Winkelmann, Acta imperii inedita II 49.

nonnullis regibus, qui se indignos fecerant principatu, regni solium auctoritate sibi divinitus tradita transtulerunt. Relinquitur ergo Romanum pontificem posse saltem casualiter suum exercere pontificale iudicium in quemlibet Christianum, cuiuscumque conditionis existit, presertim si de ipso alius iustitiae debitum nolit reddere vel non possit, maxime ratione peccati, ut peccatorem quemcumque, postquam in profundum viciorum venerit per contemptum, tamquam publicanum et ethnicum haberi constituat et a fidelium corpore alienum sicque saltem per consequens privatum, si quam habebat, temporalis regiminis potestate, que procul dubio extra ecclesiam efferri omnino non potest, cum foris, ubi omnia edificant ad gehennam, a deo nulla sit ordinata potestas. Minus igitur acute perspiciunt, nescientes rerum investigare primordia, qui apostolicam sedem autumant a Constantino principe primitus habuisse imperii principatum, qui prius naturaliter et potencialiter fuisse dicitur apud eam. Dominus enim Ihesus Christus, dei filius, sicut verus homo verusque deus, sic secundum ordinem Melchisedech verus rex ac verus sacerdos existens, quemadmodum patenter ostendit nunc utendo pro hominibus honorificentia regie maiestatis, nunc exequendo pro illis dignitatem pontificii aput patrem, in apostolica sede non solum pontificalem sed et regalem constituit monarchatum, beato Petro eiusque successoribus terreni simul ac celestis imperii commissis habentis, quod in pluralitate clavium competenter innuitur, ut per unam, quam in temporalibus super terram, per reliquam, quam in spiritualibus super celos accepimus, intelligatur Christi vicarius iudicii potentiam accepisse. Verum idem Constantinus, per fidem Christi catholice incorporatus ecclesie, illam inordinatam tyrannidem, qua foris antea illegitime utebatur, humiliter ecclesie resignavit, in cuius resignationis memoriale signaculum et plenum rationis mystice sacramentum relicta ab eo scematis principalis insignia pro venerabili anteriorum patrum similitudine retinemus, et recepit intus a Christi vicario, successore videlicet Petri, ordinatam divinitus imperii potestatem, qua deinceps ad vindictam malorum, laudem vero bonorum, legitime uteretur et, qui prius abutebatur potestate permissa, deinde fungeretur auctoritate concessa. In gremio enim fidelis ecclesie ambo gladii habentur administrationis utriusque reconditi, prout apostolica demonstrat assertio et auctoritas divina consentit, unde quisquis

ibidem non fuerit, neutrum habet. Neuter quoque non creditur iuris Petri, cum de materiali eidem dominus non dixerit „abice“, sed „converte gladium tuum“, ut ipsum videlicet per te ipsum ultra non exerceas, „in vaginam“. Tuum gladium tuamque vaginam signantius, ut apud suum vicarium, capud ecclesie militantis, etsi non executionem huius gladii divino ei prohibitam interdicto, auctoritatem tamen, et qua eadem executio producitur, in legis ministerium, malorum vindicem bonorumque tutorem innueret residere. Huius siquidem materialis potestas gladii apud ecclesiam est implicata, sed per imperatorem, qui eam inde recipit, explicatur et, que in sinu ecclesie potentialis est solummodo et inclusa, fit, cum transfertur in principem, actualis. Hoc nempe ille ritus ostendit, quo summus pontifex cesari, quem coronat, exhibet gladium vagina contentum, quem acceptum princeps exerit et vibrando innuit se illius exercitium accepisse. Ex hac quippe vagina, plenitudine videlicet apostolice potestatis, prefatus F. gladium precipui principatus acceperat, ut tueretur pacem ecclesie, non turbaret eandem nec scinderet fidem Christi, secundo putrida, non temerando sincera, succidendo perniciose pullulantia, non precidendo crescentia in salutem ac denique, infruntorum audacia refrenata, innocentiam a nocentibus protegendo. Eo igitur potestate sibi tradita in superbia abutente ac decorem imperialis culminis in tam crudelem pervertente tyrannidem, ut ea contra deum factorem suum et contra ecclesiam matrem suam sue malignitatis rabiem armaverit inconsultam, quod non presumptionis videri potest iniuria, sed iuris assecutio communi iudicio approbata, non iniusticie perversitas, sed misericors severitas discipline, rapuisse mucronem domini ipsius manibus, retorquendum letaliter in propriam animam eius cuspidem per abusum, et in locum suum, unde processerat, donec virum alterum dignum secundum cor suum dominus inveniatur, revocasse. Nec vos, qui zelum habere debetis iusticie (et) severitate discipline superbos ac humiles temperantia mansuetudinis iudicare debetis, concutere debet iuste dampnati amara et versuta suggestio, qua monstrare satagit dampnationem suam ceteris forte minacem, ut aliis fiat per terrorem similitudinis odiosa, eam inquiring in se ceptam sed in aliis finiendam, quia si verum est, ut asserit, apostolice discipline censuram ad ulteriorem omnis inobedientie penam excommunicationis in eo habuisse principium, se flagitiorum

principem et dampnandorum primitias non penitus indirecte fatetur, cum pena, que proprios actores insequitur delictorum, gradum et qualitatem indicat delinquentis. . . Nec moveat alios reges et principes, quod idem Fr. scribit,<sup>1</sup> ut moveat, quod videlicet pari iure ad reliquos pontifices, qui suos reges inungunt, pertinere videbitur par potestas, si nobis in eum, quem coronamus ex more maiorum, animadvertendi, probata etiam causa legitima, intelligatur inesse facultas. Aliud est enim de regibus aliis, qui a suis pontificibus inunguntur, a quibus pro temporalibus subiectionis et fidelitatis recipiunt iuramenta, aliud de Romanorum principe, qui Romano pontifici, a quo imperii honorem et diadema consequitur, fidelitatis et subiectionis vinculo se astringit, sicut antiquitas tradidit et modernitas approbavit. Itemque aliud est de reliquis regibus, quibus per hereditariam successionem suorum proveniunt iura regnorum, aliud de imperatore Romano, qui per liberam Germaniae principum electionem assumitur, in quos ius et potestas eligendi regem in imperatorem a nobis postmodum promovendum, sicut ipsi non abnuunt sed fatentur, ab apostolica sede pervenit, que olim imperium a Grecis transtulit in Germanos. Ad hec, etsi subliceat, negare non potest, quin etiam ratione regni Siciliae, quod ab apostolica sede tenebat in feudum, sicut que superiorem non habet dominum in vassallum, ex causa violatae fidei adversus eum iudiciariam habuerimus potestatem.

Vgl. Nr. 44 a.

c) Bonifaz VIII. 13. Mai 1300 an den Erzbischof von Köln.  
MG. Const. IV 80.

Apostolica sedes divinitus constituta super reges et regna, ut evellat et dissipet, edificet et plantet dominice domus dominium et omnis possessionis eius obtinens principatum, cui omnis anima quasi sublimiori preminencia debet esse subiecta, per quam principes imperant et potentes decernunt iustitiam ac reges regnant et legum conditores iusta decernunt, quamque gloriosissimi apostoli Petrus et Paulus pariter Christo domino consecrarunt eamque omnibus urbibus et universo mundo sua presentia atque venerando triumpho pretulerunt, Romanum imperium in

<sup>1</sup> Encyklika Friedrichs II. Etsi causae nostrae iustitiam, Juli-September 1245 Nr. 86n.

personam magnifici Caroli transtulit in Germanos iusque eligendi Romanorum regem in imperatorem postmodum promovendum certis principibus ecclesiasticis et saecularibus sedes ipsa concessit, et quicquid honoris, preminetiae, dignitatis et status imperium seu regnum Romanum habet, ab ipsius sedis gratia, benignitate et concessione manavit, a qua Romanorum imperatores et reges, qui fuerunt pro tempore, receperunt gladii potestatem ad laudem bonorum, vindictam vero malefactorum. Et ad hoc dicta translatio maxime facta fuit, ut Romanorum imperatores et reges, qui forent pro tempore, sepe dicte sedi se redderent strenuos advocatos et praecipuos defensores.

d) Bonifaz VIII. Approbationsakten des Königs Albrecht 30. April 1303.  
MG. Const. IV 139.

Et sicut luna nullum lumen habet, nisi quod recipit a sole, sic nec aliqua terrena potestas aliquid habet, nisi quod recipit ab ecclesiastica potestate.

Vgl. Nr. 411.

e) (Rechtsphilosophische Begründung.) Aegidius Romanus,  
De ecclesiastica potestate (1302).

H. Finke, Aus den Tagen Bonifaz VIII. 1902. S. 161 A. 2; 162 A. 1.

Sicut in gubernatione totius mundi unus est fons, unus est Deus, in quo est omnis potentia, a quo omnes aliae potentiae derivantur et in quam omnes potentie reducuntur, sic et in gubernatione hominum et in tota ecclesia militanti oportet, quod unus sit fons, unum sit caput, in quo sit plenitudo potestatis, in quo sit omnis potentia . . . apud quem sit uterque gladius. . . Nullus est, qui non debeat suum regnum recognoscere ab ecclesia, per quam iuste regnat, et sine qua iuste regnare non poterat.

f) Heinrich von Cremona, De potestate papae (1301).

R. Scholz, Die Publizistik zur Zeit Philipps des Schönen und Bonifaz VIII. 1903. S. 469.

Si ergo sumus unum corpus et Christus est unum caput, non est indigens habere plura capita, quia papa est loco Christi, de translat. c. penultimo (c. 3 x 1, 7); et monstrum esset videre corpus cum duobus capitibus, de off. iud. ordin. c. quoniam in plerisque (c. 14 x 1, 31). Vgl. auch Bulle Unam Sanctam, Nr. 10p.

g) (Theologische Begründung.) Aus einem theologisch-juristischen Gutachten für Klemens V. 1313.  
MG. Const. IV 1345.

n. 7. Item secundum rationem principatus data est potestas principi, ita quod si sit minor princeps, minorem habet potestatem, si maior maiorem, si summus summam et illimitatam. Christi autem vicarius habet naturam principis secundum naturam principatus Christi, qui tam ratione deitatis quam ratione unite humanitatis princeps est generalissimus omnium temporalium et spiritualium. Ipse enim dicit in Ioanne: „Data est mihi omnis potestas in celo et in terra.“ Ergo vicarius Christi princeps est generalissimus in celo et in terra, id est in spiritualibus et temporalibus. Et quia a summo et primo omnia alia oriuntur, ideo a potestate vicarii Christi omnis potestas in terris oritur, sive sit regalis sive imperialis, et precipue potestas imperialis, in cuius signum imperator electus per Christi vicarium confirmatur et confirmatus coronatur et inungitur per eundem. Equidem confirmatio, inunctio et coronatio imperatoris singulariter fit per summum vicarium, non sic autem communiter de aliis regibus, ne imperator ipse propter magnitudinem suae potestatis labatur in errorem, ut scilicet putet se habere suam potestatem a se vel immediate a Deo, non autem a Christi vicario. Verum enim est quod potestas imperialis est a Deo, quia secundum apostolum omnis potestas a Deo est, set potestas imperialis est a Deo mediante potestate papali, a qua oritur ut inferior a superiori. Potestas vero papalis est immediate a Christo et ideo Christi vicarius omnes iudicans a nemine iudicatur, set a Deo solo. Si enim potestas imperialis immediate esset a Deo, sicut est potestas papalis, ita diceretur imperator Christi vicarius in temporalibus, sicut papa dicitur Christi vicarius in spiritualibus. Christus enim rex et dominus fuit temporalium et spiritualium et ideo potestas sui vicarii claudit in se et intra se potestatem omnem temporalem et spirituales, set executionem potestatis imperialis papa committit imperatori, quando electum confirmat et confirmatum inungit et coronat, ut sic imperator secundum rei veritatem et proprie loquendo dicatur executor et minister vicarii Christi, scilicet pape. Et hinc est quod potestas pape Christi vicarii habet instituere, destituere, corrigere, compescere, ligare et suspendere potestatem imperialem et regalem. Unde dicitur in

ca(none) (c. 3 C. XV qu. 6) „Romanus pontifex Zacharias regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus quam pro eo quod tante potestati inutilis erat, a regno deposuit“. Et hoc est quod dicitur Iere(mias) primo c(apitulo): „Constitui te super gentes et super regna ut evellas et destruas et disperdas et dissipas et edifices et plantes.“ Et hoc est quod dicit apostolus in prima epistola ad Corin(thios) VI. c(apitulo) „Angelos iudicabimus, quanto magis secularia?“ quasi dicat secundum expositionem glo(se): si ecclesia habet potestatem iudicandi angelos, hoc est homines habentes potestatem spiritualem, qui alibi ab apostolo angeli appellantur, sequitur quod ecclesia habet magis potestatem iudicandi secularia, id est de rebus seculi sive de rebus temporalibus. Regulariter enim qui iudicat de maiori, ad ipsum sicut ad principalem iudicem debet reduci iudicium omne de minori iuxta illud Extra qui filii sunt legitimi „per vener(abilem)“. Ubi dicitur: „cum maior in spiritualibus tam providencia quam auctoritas et ydoneitas requiratur, quod in maiori conceditur, licitum esse videtur et in minori“, et ut credo sine causa. Petrus et successores eius duas claves ad invicem connexas et a se invicem inseparabilis habere in manu dicitur et sic etiam depingitur, quia ille due claves significant potestatem in temporalibus et spiritualibus. Non enim Petrus et successores eius unam solam clavem habere dicitur, set duas, quia non solum plenam habet potestatem spiritualium, set simul spiritualium et temporalium. Duas enim claves et duos gladios Christus suo commisit vicario, ut ostenderet quod regimen totius populi fidelis tam temporaliter quam spiritualiter ad ipsum pertinebat, iuxta illud quod dicitur XXII. c. „omnes“ (c. 1 D 22): Romanam ecclesiam „solus ipse fundavit et supra petram fidei mox nascentis erexit qui beato Petro eterne vite clavigero terrene simul et celestis imperii iura commisit“, ubi dicit glosa: ar(gumentum) quod papa habet utrumque gladium spiritualem et temporalem. Set ut premisi, executionem temporalium papa committit imperatori, retenta tamen sibi super temporalibus plenitudine potestatis. Et hoc ideo factum est, ut Christi vicarius plenius possit vacare spiritualibus negociis, facta commissione de temporalibus, quoniam ut dicitur distinctione X[C]VI. „cum ad verum“ (c. 6 D 96): „mediator Dei et hominum homo Christus Ihesus actibus propriis et dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque propria discrevit“, et hoc idem debet intelligi quantum ad distinctionem

exequcionis, quia exequcio temporalium secundum commissionem factam a Christi vicario ad imperatorem pertinet, sicut ibidem dicitur: „quatenus spiritualis accio a carnalibus distaret incuribus“ et ita debet intelligi illud, quod dicitur in quarto c(apitulo) sequenti (c. 10 D 96): „Duo sunt, imperator auguste, quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas sacra pontificum et regalis potestas, in quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro rebus hominum in divino reddituri sunt examine rationem.“ Reddet autem Christi vicarius, qui supremus est iudex tam temporalium quam spiritualium in extremo examine rationem, si res temporales permittat ab imperatoribus vel regibus male et iniuriose tractari. Quamvis autem imperator sit minister et executor vicarii Christi in rebus et negociis temporalibus, nichilominus Christi vicarius interdum exequitur negocia temporalia iuxta illud quod legitur Extra qui filii sunt legitimi „per ven(erabilem)“ (c. 13 X 4, 17), ubi sic dicitur: „Non solum in ecclesie patrimonio, super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem, verum etiam in aliis regionibus certis causis inspectis temporalem iurisdictionem casualiter exercemus“, hoc est in aliquibus casibus. E[st] autem unus casus, secundum quod ibidem ostenditur auctoritate Deuteronomii, cum aliquid fuerit difficile vel ambiguum in factis imperatorum vel regum, tunc enim est ad iudicium sedis apostolice recurrendum, quia in ea tam temporalium quam spiritualium plenitudo residet potestatis. Et ex hoc videtur michi, quod vicarius Christi regibus et imperatoribus debet dare leges, secundum quas debent iurisdictionem suam etiam in temporalibus exercere. Et si quas imperatores vel reges condant leges, ad Christi vicarium tanquam ad iudicem superiorem, in quo debet esse certa regula vivendi temporaliter et spiritualiter, spectat illas leges approbare vel reprobare nec eorum leges videntur populum ligare, nisi ab ipso Christi vicario fuerint approbate. Secundus casus, in quo papa exercet iurisdictionem in temporalibus, est racione delicti, et hoc duobus modis, scilicet vel ex omissione vel ex commissione, hiis enim duobus modis, obmittendo scilicet et mittendo possunt peccare principes et ceteri homines. Exercet itaque dominus papa iurisdictionem in temporalibus quandoque ex omissione, ut cum ad papam appellatur papa defectum iudicis secularis, quando scilicet princeps obmittat alique facere que tenetur facere ut Extra de fo(ro) compe(tenti)

c. „licet“ (c. 10 X 2, 2), vel racione commissionis que pape denunciatur vel pro qua ad ipsum appellatur ut Extra de iudic(iis) c. „novit“ (c. 13 x 2, 1). Tercius casus in quo dominus papa exercet iurisdictionem temporalem, est quando vacat imperium. Quia enim ut premisi imperator non est nisi exequutor et minister pape in temporalibus, idcirco vacante imperio pro omnibus temporalibus que spectant ad imperium est ad summum pontificem recurrendum. Extra de fo(ro) compe(tenti) c. „licet“. Si ergo de iure divino et naturali sacerdocium supereminet imperio et penes summum sacerdotem residet de iure divino et naturali utraque iurisdic(tio) et super spiritualia et super temporalia et certe etiam tam temporalium quam spiritualium ad ipsum pertinet exequicio, quamvis exequicionem temporalium quantum et quamdiu sibi videbitur commiserit imperatori tamquam suo exequutori et ministro. Unde in tempore legis nature simul currebant et concurrebant in eadem persona regnum et sacerdocium. Nam omnes primogeniti regum sacerdotes simul erant et reges et iurisdictionem in temporalibus et spiritualibus exercebant nec debebant illo tempore distinguere regnum et sacerdocium, ut alius haberet exequicionem in temporalibus, alius in spiritualibus, quia nondum erant sacerdotes vocati ad spiritualis vite exercitium, ad quod vocati sunt tempore legis gratie seu Christi. Sic etiam regnum et sacerdocium propter eandem racionem concurrere debuerunt in eadem persona tempore legis Mosayce, sicut et concurrerunt usque ad tempus Samuelis prophete, qui gerens officium sacerdotis et regis iudicabat populum tam in temporalibus quam in spiritualibus. Tempore vero predicti Samuelis divisum est regnum a sacerdocio, quia tunc populus Domini petiit sibi regem dari, quem quantum erat ex parte populi, Dominus concessit eum in honus propter peccata populi. Unde dixit Dominus Samueli: „non abiecerunt te set me, ne regnem super eos“, sicut ista leguntur in Deuteronomio VIII. c. per totum. Ex quo facto duo colliguntur, unum est quod sacerdos instituit regem et regnum ortum habuit a sacerdocio, nam Samuel sacerdos primum regem instituit super populum Domini. Secundum est quod colligitur ex isto facto, quia disponente eterna providentia, que mala nostra et ea que concedit pro peccatis nostris in bonum convertit, hoc factum est in presagium eius quod futurum erat Deo ordinante in nova lege Christi, in qua exequicio iurisdictionis temporalium

distingui debeat ab exequicione spiritualium, et sacerdotes expediti a iudiciis temporalium assuescerent imminente tempore adventus Christi vacare spiritualibus. Christus enim venit rex et sacerdos simul secundum ordinem Melchisedech, qui simul fuit rex et sacerdos Dei altissimi et gerebat figuram secundum quod dicit apostolus ipsius Christi, qui fuit rex et sacerdos simul habens iurisdictionem temporalium et spiritualium. Et iste Melchisedech qui simul fuit rex et sacerdos gerebat figuram tam Christi quam sui vicarii qui simul est rex et sacerdos, quamvis exequicionem regie potestatis imperatori et regibus commissa sit eius auctoritate exceptis casibus supradictis. Unde de Christo et eius vicario dicitur in Psalmo „tu es sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedech“.

h) Klemens VI. 6. November 1346 Approbationsakten Karls IV.  
MG. Const. VIII 151.

Dico . . , quod iste status (imperialis) est generose derivatus: quia a Deo, non de terra, sed de celo duxit originem. Fecit enim Deus duo luminaria: luminare maius, ut preesset diei, et luminare minus, ut preesset nocti, solem scilicet et lunam; per quae luminaria significantur sacerdotium et imperium: sol sacerdotium, luna imperium; sicut apparet Extra de maior. et obed. c. solite (= c. 6 x 1, 33). Ut dicat imperium illud Eccli. XXIV: „Ego ex ore Altissimi prodii.“ Omnis enim potestas a Deo est, ad Rom. XIII. Unde dicebat Iohannes papa LXXXXVI. Di. c. „si imperator“ (= c. 11 D. 96), quod habet imperator privilegia potestatis suae, que in administrandis legibus publicis divinitus consecutus est, et subdit, quod a Deo consecutus est propriam potestatem, quod utique verum est, sed mediante pontificali, sicut magis apparebit infra et eadem Di. c. „cum ad verum“ (= c. 6 D. 96).

i) Augustinus Triumphus († 1328), Summa de potestate ecclesiastica qu. 45 a. 2.

Utrum Papae subiciantur omnes Reges, quantum ad temporalium recognitionem.

Ad quaestionem ergo puto, pro veritate, esse dicendum: quod Papa Vicarius Iesu Christi, vice Dei viventis, in toto orbe terrarum spiritualium et temporalium habet universalem iurisdictionem: sed ipsorum temporalium immediatam administrationem non recipit, nisi in regionibus occidentalibus imperii, per concessionem factam Ecclesiae

a Constantino. Quare autem Ecclesia non utitur temporalium administratione, nisi in partibus Italiae, mediante Imperatore, quem elegit, et non in aliis regnis, quae sunt in occidentali imperio, hoc non est propter carentiam auctoritatis, sed propter nutriendum in suis filiis vinculum pacis et unitatis: quia ex quo Imperium fuit divisum, et a diversis partibus diversimode et tyrannice usurpatum, Ecclesia propter vitandum scandalum et schisma temporalium administrationem in regnis illis dimisit, propter cuius scandali vitationem Salvator generis humani etiam se tributarium fecit.

Vgl. auch Nr. 411.

## 2. Approbation des deutschen Königs.<sup>1</sup>

### Nr. 41.

- a) Rudolfus Glaber († 1050), Hist. I 5.  
MG. SS. VII 59.

Illud nihilominus nimium condecens ac perhonestum videtur atque ad pacis tutelam optimum decretum, scilicet ut ne quisquam audacter Romani imperii sceptrum praeponderis gestare princeps appetat, seu imperator dici aut esse valeat, nisi quem papa sedis Romanae morum probitate delegerit aptum rei publicae eique commiserit in signe imperiale.

- b) Gregor VII. an die deutschen Fürsten 3. September 1076.  
Jaffé, Bibl. rer. Germ. II 245.

Quodsi exigentibus multorum peccatis, quod non optamus, ex corde non fuerit ad Deum conversus (Henricus IV.), talis ad regni gubernacula Deo favente inveniatur, qui ea quae praediximus et cetera, quae videntur christianae religioni et totius imperii salutis necessaria, se certa ac

<sup>1</sup> Vgl. Johann VIII. an den Erzbischof Ansbert von Mailand 879, MG. Ep. VII 133: antea nullum absque nostro consensu regem debetis recipere, nam ipse, qui a nobis est ordinandus in imperium, a nobis primum atque potissimum debet esse vocatus atque electus. — B. Dönitz, Über Ursprung und Bedeutung des Anspruchs der Päpste auf Approbation der deutschen Königswahlen. 1891. E. Engelmann, Der Anspruch der Päpste auf Konfirmation und Approbation bei den deutschen Königswahlen. 1886.

indubitabili promissione observatorum promittat. Ut autem vestram electionem — si valde oportet ut fiat — apostolica auctoritate firmemus, et novam ordinationem nostris temporibus corroboremus, sicut a sanctis patribus factum esse cognoscimus: negocium personam et mores eius quantocius potestis nobis indicate; ut, sancta et utili intentione incedentes, mereamini, sicut nobis causae notae, apostolicae sedis favorem per divinam gratiam et beati Petri apostolorum principis per omnia benedictionem.

- c) Annales S. Disibodi ad a. 1125.  
MG. SS. XVII 23.

Legati pro confirmando rege (Lothar von Supplinburg) Roman mittuntur.

- d) Honorius Augustodunensis, Summa gloria (ca. 1123) c. 17.  
MG. Lib. III 71.

Constantinus Romano Pontifici coronam regni imposuit, et ut nullus deinceps Romanum imperium absque consensu apostolici subiret, imperiali auctoritate censuit.

- e) Friedrich I. an Eugen III. 1152.  
MG. Const. I 191.

Der Gewählte macht dem Papste Mitteilung, „ut de nostris pro-  
fectibus . . . certiores esse possitis“. Antwortschreiben des Papstes vom  
17. Mai 1152, MG. Const. I 194: „factum . . . benigno favore sedis apo-  
stolicae approbamus“.

- f) Die Wähler Ottos IV. an Innocenz III. 1198.  
MG. Const. II 25:

ipsius electionem et consecrationem auctoritate vestra confirmare et imperiali coronationi annuere paterna pietate dignemini.

- g) Bulle Venerabilem, Nr. 39b.

- h) Überreichung des Wahldekretes der Kurfürsten über die Wahl Rudolfs I. an den Papst. 1273.  
MG. Const. III 17.

... Vacante profecto iam pridem imperio, ne diucius sic oberraremus acephali, apud Frankenvort, die ad hoc ab omnibus nobis indicta et acceptata concorditer, ad providendum eidem imperio convenientes in unum, tandem post aliquantulum de futuri regis substitutione tractatum

in inclitum virum dominum R. de t(ali) lo(co), invocata primitus sancti Spiritus gracia, cum solempnitatibus debitis et consuetis, servato in omnibus modo et ordine congruo, tamquam in magis utilem ad id et magis idoneum, quem agnovimus, habito ad Deum precipue et ad rei publice causam respectu potissimo, de communi consensu omnes et singuli pariter oculos nostros iniecit, eum in regem Romanorum imperatorem futurum, auctore Altissimo, una voce votoque unanimi unanimiter eligentes. Qua quidem electione canonice, immo divinitus procul dubio celebrata, eundem cum inenarrabilis immensitate tripudii, omnium applaudente caterva nobilium necnon populi comitiva letante ac in superne laudis canticum gratulabundius assurgente apud Aquisgranum utpote sedem, que primum sublimacionis et glorie regie gradum ponit, magnifice duximus, ubi t(ali) die a nobis Col(oniensi) archiepiscopo, cuius interest regibus ab antiquo beneficium consecracionis impendere, fuit in sede magnifici Karoli coronatus et unctionis sacerrime oleo delibutus. Et ut de regis electi sic et coronati persona sacrosancte Romane ecclesie matri nostre piissime nova congaudia cumulentur, idem rex est fide catholicus, ecclesiarum amator, iusticie cultor, pollens consilio, fulgens pietate, propriis potens viribus et multorum potentum affinitate connixus, Deo ut firmiter opinamur amabilis et humanis aspectibus graciosus ac insuper corpore strenuus et in rebus bellicis contra perfidos fortunatus. Propter quod speramus in eo, qui reges et regna constituit, quod sub eius principatu pacifico quies regno proveniet, pax ecclesiis, concordia plebibus et moribus disciplina, ita quod gladii conflagantur in vomeres, cornu christi sui a rege regum magnifice sublimato. Vos itaque quesumus, pater sancte, benigne suscipite filium singularem, quem procul dubio sencietis intrepidum matris ecclesie pugilem et invictum catholice fidei defensorem. Processum vero tam rite tam provide tam mature de ipso sic habitum graciose approbacionis applausu benivolo prosequentes ac ex affluentem paterne dulcedine pietatis opus Dei perficientes in ipso, eundem cum vestre sanctitati placuerit et videritis opportunum, ad imperialis fastigii diadema dignemini misericorditer evocare, ut sciant et intelligant universi, quod posuerit vos in lucem gencium Dominus et per vestre discrecionis arbitrium orbi terre post nubilum exoptata serenitas illucescat.

i) Aus Johannes' XXII. erstem Prozeß gegen Ludwig d. B. 8. Okt. 1323. MG. Const. V 617.

Verum praefatus Ludovicus, a nobis, ad quem sue electionis . . . in discordia celebrata ac persone ipsius examinatio, approbatio ac admissio, repulsio quoque et reprobatio noscitur pertinere, electione predicta nequaquam admissa nec eius approbata persona . . . prefati Roman(i) regni nomen sibi et titulum regium usurpavit.

k) Tolomeo von Lucca († 1327), Determinatio compendiosa de iurisdictione imperii. Ed. M. Krammer, Fontes iuris germ. antiqui 1909.

cap. 30 p. 60. Ad illud vero . . . , utrum per solam confirmationem ius acquiratur, iam ex supradictis apparet veritas questionis, quia totum dependet ex ordinatione ecclesie sive de modo eligendi sive de iure administrandi sive de quacumque re pertinente ad dignitatem imperii, cum ex multis rationibus et auctoritatibus, sicut probatum est superius, imperator sit verus minister ecclesie, quam administrationem ab ipsa recipit sub iureiurando sicut fidelis ecclesie sub titulo feudi, et inde est ratio, quod ecclesia facilius procedit ad eius depositionem quam aliorum principum, ut Innocentius scribit contra Fredericum predictum,<sup>1</sup> cui papa ense porrigit, cum ipsum coronat, tamquam defensori et protectori ecclesiasticae libertatis . . . Patet igitur ex iam dictis, quod iuramentum fidelitatis ecclesiae, inunctio et coronatio per papam ad imperatorem legitimum requiratur.

cap. 31 p. 63 . . . Consuetudine iam prescripta et approbata, legitima persuasione concludi potest, quod, nisi per summum pontificem, in cuius manu sunt omnia Christi virtute, ut patet ex dictis iam supra, aliud disponatur ex canone novo, electum imperatorem legitime iura imperii administrare non posse confirmatione necessaria per iuramenti fidelitatis susceptionem, unctione ulterius ac coronatione a Christi vicario non subsecuta.

l) Klemens VI. an den Erzbischof von Köln 28. April 1346. MG. Const. VIII 40.

Sane cum multum reipublicae utilitati expediat, quod vir strenuus, devotus, catholicus et fidelis, cui nos et ecclesia Romana tanquam speciali advocato et defensori eisdem ecclesiae debeamus favores et gratias impertiri, ad

<sup>1</sup> Vgl. Nr. 40b S. 135.

tanti culminis fastigium assumatur, et inter ceteros principes et magnates earum partium dilectum filium nobilem virum Carolum primogenitum carissimi in Christo filii nostri Iohannis regis Boemiae illustris, marchionem Moraviae, attentis multis virtutibus, quibus ipsum decoravit Altissimus, ad hoc aptum et idoneum extimemus, acceptum Deo et expediens utilitati publicae crederemus ac nobis et apostolicae sedi admodum proculdubio gratum esset, si praefatus marchio in regem promovendum in imperatorem Romanorum postmodum assumatur.

m) Aus den Approbationsakten Karls IV., Klemens' VI. 6. November 1346.  
MG. Const. VIII 152.

.. Sciendum est, quod spiritualis auctoritas in ordine ad excellentiam imperialem habet tres actus preceptivos: Habet enim approbare, iudicare, regulare, unde potestas imperialis habet petere decretum sue approbationis vel confirmationis, subire iudicium sue examinationis vel discussionis, sequi preceptum sue moderationis vel ordinationis.

Dico primo, quod papa habet actum primum perceptivum, qui est approbare. Habet enim electus in imperatorem promovendus petere decretum sue approbationis vel confirmationis. Unde Extra de elect. c. „venerabilem“ (= c. 34 x 1, 6) dicit, quod legatus denunciatoris gerens officium personam regis approbavit et ducis reprobavit; et extra de iureiur. in Clem. c. „Romani pontifices“ (= c. un. in Clem. 2, 9) dicit dominus Clemens: „Persona eius ydonea reputata, ipsum nominavimus, denunciavimus et declaravimus regem Romanorum, ipsius approbantes personam eumque sufficientem et habilem declarantes ad suscipiendam imperialis celsitudinis dignitatem.“ Et istud videtur recte precessisse in Scriptura, quoniam Samuel Saul reprobavit et David approbavit, sicut apparet I. Reg. XV. et XVI. et quasi per totum, et etiam quoniam omnes filios Ysai reprobavit et solum David, qui minimus, approbavit, I. Reg. XVI. Et semper Deus approbationem et reprobationem regum Israel fieri voluit per ministerium sacerdotum, et ista est differentia inter dominum tyrannicum et usurpatum et dominium catholicum et approbatum, quia primum bene precessit in Scriptura et frequenter et sine ministerio sacerdotum, de quibus dicitur Osee VIII: „Ipsi regnaverunt, sed non ex me.“ Sed nequaquam bene secundum fuit figuratum in Melchisedech, qui fuit „sacerdos

Dei altissimi“, Gen. XIV. Sed primum precessit in Cayn, sicut dicit Augustinus XV. de civitate Dei c. XIX. Et ideo dicit Augustinus super Ps. XLIV, quod reges soli Israel inungebantur, quod habebant immediate ordinem ad Christum, a quo dependet omnis unctio. Merito ergo, quia istud imperium catholicum est et unctionem recipit promovendus ad ipsum debet approbari per summum sacerdotem. Unde dominus Bonifacius ad archiepiscopos Maguntinum, Coloniensem et Treverensem de persona Alberti in regem Romanorum electi inter cetera dicit sic: „Ad nos ius et auctoritas examinandi personam in regem Romanorum electam pro tempore eiusque inunctio, consecratio, coronatio, manus impositio nec non denuntiatio seu reputatio ydoneitatis persone vel forme et nominatio regia seu ratione dignitatis persone vel forme reprobatio pertinere noscuntur.“

Dico secundo, quod habet papa actum preceptivum, quia iudicare. Imperator enim habet subire iudicium sue examinationis vel discussionis. Unde dicitur in illo c. „venerabilem“ (= c. 34 X 1, 6): „Ius et auctoritas examinandi personam electam in regem et promovendam ad imperium ad nos spectat, quia eum inungimus, consecramus et coronamus; est enim regulariter ac generaliter observatum, ut ad eum examinatio persone pertineat, ad quem impositio manus spectat“; et ideo apostolus dicit I. ad Thymot. V.: „Nemini cito manum imposueris.“ Cito autem manum imponere est: ante tempus examinis honorem prebere dignitatis; sicut et patet in glossa super isto verbo. Et ideo dicitur I. ad Corinth. II, quod „animalis homo non percipit ea, quae spiritus Dei sunt. Stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis homo omnia disiudicat, et ipse a nemine iudicatur.“ Super quo verbo dicit Augustinus et est in glossa, quod propter hec spiritualia preponuntur corporalibus vel animalibus potestatibus, ut examinentur et probentur, animalia ament et diligant. Unde LXXXVI. Di. c. „duo sunt“ (c. 10 D 96) dicit, quod imperator pendet ex pape iudicio, non econtra, quod satis apparet, cum pluries excommunicasse et deposuisse Romani pontifices imperatores legantur, sicut patet novissime in decretali „ad apostolice“ de sent. et re iudic. Li. VI. (= c. 2 in VI<sup>to</sup> 2, 14). Ideo I. ad Corinth. VI. dicitur: „Angelos iudicabitis, quanto magis secularia.“

Dico tertio, quod papa habet actum preceptivum, quia regulare. Imperator enim habet sequi preceptum sue moderationis vel ordinationis. „Leges enim non dedignantur sacros canones imitari“ (= c. 8 X 2, 1; c. 1 X 5, 32). Unde imperator habet ad eum attendere, sicut ad exemplar. Unde Deut. XVII, quod rex „recipiat exemplar a sacerdotibus“. Unde, quicquid agit et facit secundum regulam sacrorum canonum, bonum et iustum est; si quid autem ageret eis contrarium, non esset sequendum, sed potius reprobandum. Propter hec dicit Deut. XVII, quod, si quis „superbierit, non obediens sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino, et decreto iudicis, moriatur homo ille, ut nullus deinceps intumescat superbia. Mat. XVIII: „Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.“ Unde Saul, quamdiu obedivit Samueli, bonus fuit et prosperatus est, sed quam cito non obedivit, reprobatus est. Unde I. Reg. XV. sibi dicitur: „Scidit Dominus regnum a te et dedit illud proximo tuo meliori te.“ Et fuerunt verba Samuelis.

Quia ergo istos tres actus preceptivos habet, idcirco apparet eius eminentia et auctoritas; quando enim potestates sunt inter se adinvicem ordinate, maior precipit minori. Unde Pharaon precipiebat Ioseph, et „Ioseph precepit dispensatori“, sicut apparet Gen. XLIV. Papa vicarius est illius, de quo dicitur Ps. secundo: „Ego autem constitutus sum rex ab eo super Syon montem sanctum eius, predicans preceptum eius“; istud enim preceptum, de quo dicitur Eccl. VIII: „Qui custodit preceptum, non experietur quicquam mali.“ Et ratio satis est, quia, sicut apostolus dicebat I. ad Cor. VII: „Precipio non ego, sed Dominus.“ Preceptum apostolicum preceptum Dei est. Ideo dicebat apostolus I. ad Thymoth. V.: „Precipe, ut irreprehensibiles sint“, ideo II. ad Thessalonic. III. dicit: „Confidimus de vobis, quod quecumque vobis precipimus, et facitis et facietis; Dominus autem dirigat corda vestra in karitate Dei, et patientia Christi.“ Unde Dist. X. c. „certum est hoc regibus“ (= c. 3 D 10) dicitur, quia regibus nostris est salutare, ut voluntatem suam Christi sacerdotibus studeant subdere, non preferre, sacrosancta per eorum presules discere potius quam docere et ecclesiasticam formam sequi.

n) Bestätigung Heinrichs VII. durch Klemens V. 26. Juli 1309.

MG. Const. IV 258.

— — oblato etiam nobis ipsius electionis decreto et ipso per nos et fratres nostros examinato et etiam examinatione similiter in presentia eorundem fratrum per nos facta de conditionibus personae ipsius electi, . . . quae requiruntur in illo, qui est ad tam excellentis dignitatis culmen assumendus, quia ipsum sufficientem et virtuosum invenimus ad imperium obtinendum et omnia in electione praedicta de ipso celebrata rite processisse, ipsum carissimum filium nostrum Henricum electum reputamus, nominamus, denuntiamus et declaramus regem Romanorum de ipsorum fratrum consilio iustitia exigente et personam ipsius approbantes pronuntiamus et declaramus esse sufficientem, habilem et idoneum ad promovendum in imperatorem. Decernimus etiam et pronuntiamus, inunctionem, consecrationem et coronam Romani imperii per manus nostras debere sibi concedi loco et tempore opportunis, ad quae offerimus nos paratos, exnunc concedentes eidem nostram et sanctae Romanae ecclesiae consuetos gratiam et favorem. Praecipientes exnunc omnibus subditis suis, quod eidem tamquam regi Romanorum vero efficaciter pareant et intendant.

Vgl. das Schreiben Klemens' V. an Heinrich VII. vom 26. Juli 1309. MG. Const. IV 261.

o) Bestätigung Karls IV. 6. November 1346.

MG. Const. VIII 163.

Nos ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, Patris et Filii et Spiritus sancti, et beatae ac gloriosae semperque virginis Dei genitricis Mariae et beatorum apostolorum Petri et Pauli et exaltationem et honorem ecclesiae et bonum et promotionem imperii et prosperum statum mundi de fratrum nostrorum consilio dictum Karolum in specialem nostrum et ecclesiae filium suscipimus, ei nostros favorem et gratiam concedentes, ipsiusque persona idonea reputata eundem nominamus, denuntiamus, assumimus et declaramus regem Romanorum, ipsius approbantes personam, eumque sufficientem et habilem declaramus ad suscipiendam imperialis celsitudinis dignitatem, ac decernentes inunctionem,

consecrationem et coronationem imperialem per manus nostras sibi oportunitis loco et tempore impendendas; sup-  
plentes nihilominus omnem defectum, si quis aut ratione  
formae aut ratione personae suae aut personarum electorum  
suorum seu ex quavis alia ratione sive causa in electione  
huiusmodi intervenerit quovis modo, ex certa scientia et  
de apostolica plenitudine potestatis; praecipientes etiam  
omnibus fidelibus et vasallis imperii, ut sibi sicut regi  
Romanorum in imperatorem promovendo pareant effica-  
citer et intendant.

p) Augustinus Triumphus, Summa de potestate ecclesiastica qu. 39 a. 3.

Utrum Imperator electus possit ante eius confirma-  
tionem in Regno Alemaniae administrare. Respondeo, di-  
cendum, quod aliqui dicunt ius acquisitum esse Imperatori  
per solam electionem administrandi in Regno Alemaniae,  
propter duo: primo ex diuturna et longa consuetudine . .  
secundo, ex ordinatione illius regni et consuetudine illius  
populi, cui se tanquam in re propria possunt se sibi sub-  
icere, quod de aliis partibus eis non convenit ordinare, et  
istud puto esse verum, si Papa dissimulat et contrarium  
sibi non mandat: quia in talibus, quae ex ordinatione  
Ecclesiae pendent, eo ipso quae dissimulantur et non pro-  
hibentur, intelliguntur esse concessa . . . Sic in aliqua  
parte Imperii permittitur Imperatori administrare, quod  
tamen non permittitur sibi in toto Imperio, nisi sit per  
Papam confirmatus . . . Ecclesia propter pacem servandam  
solum circa partes Italiae temporalium administrationem  
committit Imperatori, cum solennitate confirmationis et  
coronationis. In aliis autem partibus non exequitur quam  
habet iurisdictionem, sed prudenter dissimulat suorum  
fidelium Principum dominationem . . . Dicendum, quod  
administrat in regno Alemaniae magis ut Rex quam ut  
Imperator, et quamvis non eligatur in Regem, sed in Im-  
peratorem, ad eum tamen spectat regnum Alemaniae com-  
mittere et ibi et in aliis partibus Rectorem instituere, cum  
ipse omnibus partibus praesentialiter adesse non possit.

### 3. Translationstheorie.

#### Nr. 42.

a) Bulle Venerabilem Innocenz' III. März 1202, c. 34 X 1, 6.  
MG. Const. II 505.

Verum illis principibus ius et potestatem eligendi regem,  
in imperatorem postmodum promovendum, recognoscimus,  
ut debemus, ad quos de iure ac antiqua consuetudine nos-  
citur pertinere<sup>1</sup> praesertim, cum ad eos ius et potestas  
huiusmodi ab apostolica sede pervenerit, quae Romanum  
imperium in personam magnifici Caroli a Graecis trans-  
tulit in Germanos.

Vgl. Nr. 39a, i, l.

b) Bonifaz VIII., Approbationsakten Albrechts I. 30. April 1303.  
MG. Const. IV 139.

Et attendant hic Germani, quia sicut translatum est  
imperium ab aliis in ipsos, sic Christi vicarius successor  
Petri habet potestatem transferendi imperium a Germanis  
in alios quoscumque, si vellet, et hoc sine iuris iniuria.

c) Aus dem ersten Prozeß Johannes' XXII. gegen Ludwig d. B. 8. Okt. 1323.  
MG. Const. V 617.

Ludovicum praesente fidelium multitudine copiosa  
praesentium tenore monemus, eidem sub virtute sanctae  
obedientiae ac excommunicationis pena, quam ipsum, nisi  
cum effectu huiusmodi monitioni nostrae paruerit, incurrere  
volumus ipso facto, auctoritate apostolica nihilominus in-  
iungentes, ut infra trium mensium spacium a data praesen-  
tium computandum, quos ei de eorundem fratrum consilio  
pro peremptorio termino assignamus, ab administratione,  
fautoria et defensione praedictis prorsus abstineat ac desi-  
stat, administrationem ipsam per se vel alium seu alios  
non resumturus ulterius nisi tunc demum, cum et si elec-  
tionem suam huiusmodi, quae de ipso dicitur celebrata, ac  
personam eiusdem per sedem apostolicam approbari con-  
tingerit et admitti, quodque gesta per eum post praesumptum  
ab eo titulum memoratum circa praemissa, quatenus pro-  
cessere de facto, cum de iure non teneant velut ab ipso  
cui ius faciendi non competebat nec competit attemptata,  
curet infra praedictum terminum quantum patietur possi-  
bilitas realiter revocare aperte.

<sup>1</sup> Vgl. S. 119 A. 4.

#### 4. Päpstliches Entscheidungsrecht bei zwiespältiger Königswahl.

Nr. 43.

a) Bulle Venerabilem, s. Nr. 39b.

b) Entwurf der Bulle Qui celum 1263.

MG. Const. II 523.

n. 7. Et si, votis principum, ad quos spectat eligere, ad eligendum convenientium divisus in plures, duo in discordia eligantur, vel alter electorum per potentiam optinebit, vel ad predictum comitem palatinum tamquam ad huius discordiae iudicem est recursus habendus; nisi forsitan super electione vel coronatione huiusmodi suborta discordia per appellationem vel querelam predictorum principum ad examen sedis apostolicae — quo casu ipsius est in tali causa cognitio — deferatur.

#### 5. Papst und Reichsverwesung.

Nr. 44.

a) Sinibald von Fiesco (Innocenz IV.), Commentaria II 2 c. 10  
(Ausgabe 1570 p. 197b).

Nam specialis coniunctio est inter Papam et Imperatorem, quia Papa eum consecrat et examinat, et est Imperator eius advocatus et iurat ei et ab eo imperium tenet (zitiert Venerabilem, c. 34 X 1, 6 und tibi Domino c. 33 D 63); et inde est, quod in iure quae ab ecclesia Romana tenet, succedit Papa, imperio vacante. (= Hostiensis, Lectura in quinque decretalium Gregorianarum libros II 2 v. vacante, Nr. 33 f.)

b) Bulle Johannes' XXII. vom 31. März 1317 über die Reichsverwesung.

MG. Const. V 340; c. 1 X vag. Joh. XXII. tit. 5.

— — Sane in nostram et fratrum nostrorum deductum est fama divulgante notitiam, quod licet de iure sit liquidum et ab olim fuerit inconcusse servatum, quod vacante imperio, sicut et nunc per obitum quondam Henrici Romanorum imperatoris vacasse dignoscitur, cum in illo ad saecularem iudicem nequeat haberi recursus, ad summum

pontificem, cui in persona beati Petri terreni simul et coelestis imperii iura Deus ipse commisit, imperii praedicta iurisdictio, regimen et dispositio devolvuntur et ea tempore durante ipsius vacationis imperii per se vel alium seu alios exercuisse noscitur in imperio memorato, nonnulli tamen in Italiae partibus potestatis et dignitatis fastigium illicite ambientes in nostrum et sanctae Romanae matris ecclesiae quantum in eis est praeiudicium evidens ac diminutionem honoris et iuris, vicariatus seu alterius cuiuscumque nomen officii, quod ipso imperatore vivente ex ipsius commissione gerebant, in certis terris, territoriis sive locis post decessum ipsius absque nostra vel apostolicae sedis petita vel obtenta licentia retinere sibi et nonnulli etiam de novo assumere quod non gesserant aut gestum antea posteaque dimissum resumere temerariis ausibus praesumpserunt, quo vel quibus adhuc non verentur abuti ac sub eius vel eorum colore multa facere et fecisse noscuntur, quae in nostram et ecclesiae praedictae iniuriam aperte redundant, non abhorrentes per id variis involvi criminibus nec divinae maiestatis formidantes offensam.

Quia igitur error, cui non resistitur, approbari videtur et latum pandit delinquentibus sinum, qui eorum perversis conatibus non resistit, nos volentes nostris et ecclesiae sponsae nostrae iuribus et honoribus in hac parte prospicere et malis ac scandalis, quae ex retentione, assumptione seu resumptione huiusmodi orta sunt hactenus et quae periculose possent inantea suboriri, celeriter obviare necnon periculis animarum huiusmodi retinentium, assumptium seu resumentium nomina et eis abutentium, ut praefertur, salubriter occurrere cupientes, praesentium auctoritate monemus sub excommunicationis poena omnes et singulos, cuiuscumque status, praeeminentiae, dignitatis aut conditionis existant, etiamsi patriarchali vel quavis alia superiori aut pontificali vel regia seu alia quacumque praefulgeant dignitate, qui post vacationem imperii absque nostra vel sedis praedictae licentia huiusmodi vicarii seu cuiusvis alterius officii nomen sibi ubilibet retinuerunt, assumpserunt seu resumpserunt et retinent et qui assument vel resument fortassis imposterum et sub talis denominationis pallio abusi sunt et abutuntur vel etiam abutentur potestate vel iurisditione quacumque seu eius executione publice vel occulte, quatinus de cetero a denominatione

huiusmodi seu nominis assumptione, resumptione ac retentione praedictis necnon usu, potestate et exercitio supra-dictis prorsus abstineant et omnino desistant. Inhibentes insuper sub poena praedicta omnibus et singulis patriarchis et praelatis etiam aliis superioribus et inferioribus ac regibus, civitatibus, communitatibus, universitatibus, capitaneis, potestatibus, rectoribus, comitibus, vicecomitibus, baronibus et aliis omnibus, cuiuscumque sint dignitatis, conditionis aut status, ne praedictos huiusmodi nomen seu aliud quodlibet in eodem imperio retinentes, ut praefertur, aut assumentes vel resumentes vel eorum aliquem sub denominatione vel titulo huiusmodi nominum seu procuratores, commissarios, iudices aut vices eorum gerentes quocumque colore quaesito recipiant vel admittant nec ut vicariis seu vicario aut officialibus imperii pareant vel intendant aut pareri vel intendi faciant vel permittant nec in hiis eis vel ei quodlibet praestent auxilium, consilium vel favorem.

Alioquin in omnes et singulos patriarchas, praelatos etiam superiores et inferiores et ceteros denominationem praedictam, ut praemissum est, retinentes, assumentes seu resumentes ac illius praetextu exercentes quaecumque officia, potestates seu iurisdictiones et in recipientes eos ut vicarios vel officiales imperii aut commissarios eorum ut talium et in parentes seu obedientes eis ut talibus aut praestantes in hoc sibi auxilium, consilium vel favorem, nisi infra duorum mensium spatium a die datae praesentium numerandum penitus resipuerint vel se licentia sedis apostolicae super hoc ostenderit communitos, excommunicationis in singulares personas et in terras et loca ipsorum et quaslibet communitates, universitates, civitates aut villas interdicti sententias de fratrum nostrorum consilio publice promulgamus, contra eos nihilominus spiritualiter et temporaliter gravius processuri, prout inobedientia eorum exegerit, qualitas facti suaserit et viderimus expedire. Et ut quibuslibet parendi talibus tollatur occasio, omnes et singulos, qui huiusmodi vicariatus nomen retinentibus, assumentibus seu resumentibus iuramento fidelitatis tenentur astricti, a iuramento huiusmodi quantum ad hoc de potestatis plenitudine absolventes auctoritate apostolica firmiter inhibemus eisdem, ne talibus ut vicariis vel officialibus imperii aliquatenus pareant vel intendant. Et insuper omnes pactiones, obligationes, confederationes et

colligationes a quibuscumque super hoc quomodolibet initas iuramento vel quacumque firmitate vallatas omnino dissolvimus, iuribus vacuumus, irritamus et, quatenus de facto processerint revocamus ac huiusmodi et quaelibet alia iuramenta a quibuslibet super hiis praestita, per quae posset in praedictis nostris et ecclesiae praedictae iuribus derogari, praesertim cum iuramentum vinculum iniquitatis esse non debeat, relaxamus. Ceterum ut huiusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur, cartas seu membranas processum continentes eundem in ecclesia Avinionensi appendi vel affigi ostiis seu superliminibus faciemus, quae processum ipsum suo quasi sonoro praefatione et patulo inditio publicabunt, ita quod omnes et singuli, quos processus ipse contingit et contingere potest, nullam postea possint excusationem praetendere, quod ad eos talis processus non pervenerit vel quod ignoraverint eundem, cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam potenter omnibus publicatur.

Dat. Avinione in domo episcopali, II. Kal. Aprilis, anno primo.

## 6. Absetzung des Kaisers.<sup>1</sup>

Nr. 45.

a) Absetzung Friedrichs II.

Aus der Bulle Ad apostolicae dignitatis Innocenz' IV.  
vom 17. Juli 1245 n. 10.

MG. Const. II 512; c. 2 in VI<sup>to</sup> 2, 14.

Nos itaque super premissis et quam pluribus aliis eius nefandis excessibus cum fratribus nostris et sacro concilio deliberatione prehabita diligenti, cum Iesu Christi vices licet immeriti teneamus in terris nobisque in beati Petri apostoli persona sit dictum: quodcumque ligaveris super terram etc., memoratum principem, qui se imperio et regnis omni que honore ac dignitate reddidit tam indignum, quique propter suas iniquitates a Deo ne regnet vel

<sup>1</sup> V. Domeier, Die Päpste als Richter über die deutschen Könige. 1897.

imperet est abiectus, suis ligatum peccatis et abiectum omnique honore ac dignitate privatum a Domino ostendimus, denuntiamus ac nihilominus sententiando privamus, omnes qui ei iuramento fidelitatis tenentur astricti, a iuramento huiusmodi perpetuo absolventes, auctoritate apostolica firmiter inhibendo, ne quisquam de cetero sibi tamquam imperatori vel regi pareat vel intendat, et discernendo quoslibet, qui deinceps ei velud imperatori aut regi consilium vel auxilium prestiterint seu favorem, ipso facto excommunicationis vinculo subiaccere. Illi autem, ad quos in eodem imperio imperatoris spectat electio, eligant libere successorem. Als Gründe werden angegeben (n. 4): (scelera) quatuor gravissima, quae nulla possunt celari tergiversatione, commisit: deieravit enim multotiens; pacem quondam inter ecclesiam et imperium reformatam temere violavit; perpetravit etiam sacrilegium, capi faciens cardinales sanctae Romanae ecclesiae ac aliarum ecclesiarum prelatos et clericos, religiosos et seculares, venientes ad concilium quod idem predecessor duxerat convocandum; de heresi quoque non dubiis et levibus sed difficilibus et evidentibus argumentis suspectus habetur.

Vgl. auch Nr. 40b; 39i.

b) Exkommunikation Ludwigs des Bayern 23. März 1324.

MG. Const. V 696.

Ideoque praefatum electum de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica in praedictam excommunicationis sententiam incidisse praesente hac multitudo copiosa fidelium declaramus ipsumque praedicta excommunicationis sententia innodatum et velut excommunicatum praeter casus exceptos evitandum ab omnibus nunciamus eumque nihilominus astante praedicta multitudo copiosa fidelium per hoc praesens edictum publicum solenniter auctoritate praedicta monemus, sibi auctoritate apostolica sub poena privationis omnis iuris, si quod sibi ex sua electione praedicta, quae de ipso dicitur celebrata, vel ad regnum et imperium Romanum quoquomodo competit et posset competere, quam si monitioni et mandato huiusmodi efficaciter non parebit, eum incurrere volumus ipso facto, districtius iniungentes, ut infra trium mensium spatium a data praesentium inantea computandum se regem Romanorum non intitulet, non denominet nec describat nec

per alios faciat quantum in eo fuerit tali intitulari titulo vel etiam nominari, ab intitulatione et denominatione regali huiusmodi per eum indebite usurpata ac administratione regni et imperii praedictorum et rerum ac iurium eorundem abstinendo, denominationem, intitulationem et administrationem praedictas non resumiturus ulterius, nisi si et quando personam ipsius et electionem, quae de ipso celebrata fuisse dicitur, per sedem eandem approbari contigerit et admitti.

c) Absetzung Ludwigs des Bayern 11. Juli 1324.

MG. Const. V 784.

Verum quia infra praefatum trium mensium spatium eidem Ludovico ad deponendum titulum regium et ab administratione regni et fautoria haereticorum et rebellium praedictorum penitus abstinendum necnon realiter et cum effectu, quaecumque de facto, cum non potuisset de iure, tamquam rex Romanorum gesserat, quantum sibi foret possibile revocandum, nobisque et ecclesiae satisfaciendum de iniuriis, offensis et gravaminibus per praemissa nobis et eidem ecclesiae temere irrogatis ac de praemissis per authenticas litteras vel instrumenta publica nos certiores reddendum et hac sub poena privationis omnis iuris, si quod ei ex sua electione praedicta ad dicta regnum et imperium competebat seu competierat, quam nisi praemissis pareret efficaciter, eum ipso facto incurrere volumus, prout superius plenius continetur, necnon et super dictis excessibus et iniuriis ac super poena privationis praedicta declaranda seu inferenda et poenis aliis, quibus excessus et inobedientia ac contemptus praedicti obnoxium eum reddiderunt, diffinitivam sententiam et nostrum beneplacitum audiendum, quantum nostrum pateretur officium, per nos peremptorie assignatum, idem Ludovicus nec per se comparuerit nec alius pro eodem nec quidem praedicta impleverit infra praedictum terminum, cum nec ea curaverit adimplere, sed potius peiora studuerit cumulare, nec nos per authenticas litteras vel instrumenta publica reddiderit certiores, licet tunc merito potuissemus contra ipsum procedere eius proterva contumacia exigente, de benignitate tamen sedis apostolicae ac de fratrum praedictorum consilio, ipsum usque ad diem praesentem hora consistorii duximus expectandum. Cum itaque nec interim comparuerit nec adhuc ipse compareat nec aliquis alius pro eodem, de

fratrum eorumdem consilio praefatum electum reputamus et declaramus merito contumacem, eiusque contumaciam tam in non comparendo, quam in non acquiescendo nostris superius expressatis salutaribus monitis et mandatis continuatam auctamque considerantes attente, ne deinceps plures trahat in sui erroris devium, ad quod sua tota ferri videtur intentio, et ne de tanta contumacia gloriatur, si iustitia ulterius differatur omnino, nos tam temerariis ausibus, tam periculosis excessibus, tamque obstinatae malitiae electi praefati ocus cupientes occurrere, ne sero medicina ipsis procedentibus ulterius praeparetur, attendentes quod ad excessus huiusmodi perpetrandos gloria tituli regii, quem sibi temere usurpavit, incentivum sibi tribuit ac in ipsis perseverandi fomentum periculose nimium subministrat, hanc ad Dei honorem et sanctae Romanae ecclesiae ac totius catholici populi quietem et pacem eiusdemque electi salutem, prout et iustitia exigit, amputare volentes, de fratrum ipsorum consilio memoratum electum, qui propter excessus notorios, contemptus quoque ac superadditas obstinatas contumacias supradictas tam in non comparendo sibi praefixis terminis, quam in non parendo nostris salutaribus praeceptis et monitis supradictis praedictis regno et imperio reddidit multipliciter se indignum quique propter suam protervam ambitionem et superbam proterviam a Deo ne regnet vel imperet est abiectus, ipsum Ludovicum Ducem Bavariae omni iure, si quod sibi ex electione sua praedicta competere seu competiisse poterat, a Domino privatum denuntiamus et ostendimus nosque ipsum iure praefato sententiando privatum declaramus et privamus nihilominus ad cautelam, de benignitate sedis Apostolicae et eorumdem fratrum consilio supersedentes ad praesens a penis aliis, quibus excessus praedicti ipsum reddiderunt obnoxium, cum ad illas infligendas vel declarandas inflictas possemus procedere iuxta tenorem nostrorum praedictorum processuum iustitia mediante, reservantes nobis procedendi ad poenas ipsas infligendas seu inflictas declarandas coniunctim vel divisim, prout negotii qualitas exigit, eiusdemque Ludovici obedientia vel inobedientia suadebit et expedire viderimus, plenariam potestatem.

## 7. Annullierung weltlichen Rechts.

Nr. 46.

Gregor XI. Verurteilung von vierzehn Artikeln des Sachsenspiegels. 1374.  
M. Goldast, Collectio consuetudinum et legum imperialium. 1674. Prolegom.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopo Rigensi eiusdem suffraganeis salutem et apostolicam benedictionem. Ad reverentiam Dei, extirpationem errorum et exaltationem catholicae fidei atque iustitiae et animarum salutem. Quaedam execrabilia scripta, Leges seu Speculum Saxonum appellata, multa examinatione et maturitate in hac parte praehabita, auctoritate apostolica reprobamus, damnamus, et decernimus irrita et inania, et carere omni robore firmitatis, prout continentur in nostris literis, inde confectis, quarum tenor est talis. Gregorius Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Salvator humani generis Dominus noster Iesus Christus, cuius licet indigne vices gerimus, cernens ipsum genus humanum, quod ad delicias paradisi creaverat, ex lapsu prothoplasti diabolica fraude deceptum per peccatum inobedientiae corruiisse. Et quod futurorum praescius praevidebat inter statutum purissimum triticum hostem invidum seminaturum zizania, et inter sacra prophana, inter sincera fermentum, et inter recta, iniqua hostilibus callidisque machinationibus et astutiis positurum, cultores agri sui, videlicet beati Petri principis Apostolorum, cui et successoribus suis, per eundem tradidit plenissimam potestatem, aliorum Apostolorum et Discipulorum successores, sc. Ecclesiarum praesules, qui supernatum evellerent lolium; ne inficeret semen bonum. Ideoque ad nostrum principaliter, aliorumque praelatorum Ecclesiae sanctae Dei spectat officium, ut animarum saluti solerti sollicitudine intendentes, et agrum huiusmodi, prout expedit, saepius expurgantes: Ea quae noverimus humanae saluti contraria, studio pastoralis sollicitudinis evellamus. Sane fide digna et admodum molesta pluriesque inculcata relatio plurimorum ad nostrum perduxit auditum, quod in Saxonia, et nonnullis aliis partibus, quaedam detestabilia scripta, Leges seu speculum Saxonum vulgariter nuncupata, et inferius annotata apud nonnullos Nobiles atque plebeios reperiuntur, quae iudices et incolae partium earundem,

omissis Canonibus aliisque Scripturis sacris contemptis, quae naturae legibus ac civilibus et bonis moribus, procul pulsas et longis retroactis temporibus observarunt, et observant etiam de praesenti. Ex quorum quidem observantia Deus offenditur, proximus gravatur, vera iustitia et aequitas dissipatur, canones et leges condemnantur. Etenim iudicium enormiter subvertitur, veritas impugnatur, contra bonos mores et legem naturae agitur, deonestatur honestas, libertasque Ecclesiastica conculcatur, et quod est deterius, apostolica denegatur potestas, et veritati catholicae fidei derogatur. Nos igitur de his tanto dolentes amarius, quando exinde illa servantium animae longioribus temporibus, strictioribus laqueis fuerunt allegati. Et propterea paternis desiderantes affectibus tot et tantis malis periculis obviare. Ne nobis praedicta dissimulantibus, sanguis per ipsa peccantium de nostris manibus a domino requiratur, ipsa scripta seu leges, quae nos mature vidimus, et per nonnullos ex fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales et alios in sacra pagina magistros ac utriusque iuris Doctores diligenter examinari fecimus. Habita super eis deliberatione matura, tanquam falsa, temeraria, iniqua et iniusta, et in quibusdam haeretica et schismatica, et contra bonos mores existentia periculosaque; animabus de ipsorum fratrum nostrorum consilio, autoritate Apostolica, tenore praesentium reprobamus, damnamus, et decernimus irrita et inania, et carere omni robore firmitatis, nec non processus et sententias, si quas forsitan ipsarum reprobatarum scriptarum legum praetextu fieri contingit, in posterum penitus non valere. Universis Christi fidelibus per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsis scriptis et legibus reprobatis de caetero non utantur, sed Domini terrarum tam ecclesiastici qua seculares, suos uti subditos non permittant. Alioquin contrarium praesumentes, cuiuscumque praeeminentiae, dignitatis, status vel conditionis existant, etiamsi Pontificali, vel Imperali, aut Regali, vel alia qualibet praeferantur dignitate, excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto. Et ut reprobatio, damnatio et mandatum nostrum huiusmodi, tam salubrem effectum irrefragabiliter consequatur, universos et singulos, ac dominos temporales tam ecclesiasticos, quam etiam seculares, per praesentes requirimus et rogamus, ut per eorum constitutiones et statuta perpetua ordinent et mandent sub

gravioribus temporalibus poenis, quod nullus subditorum suorum deinceps utatur his reprobatis scriptis, seu legibus memoratis, ipsasque in contrarium facientes taliter exequantur, quod eorum scriptorum seu legum detestata iniquitas de terris eorum totaliter extirpetur. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam nostrae damnationis, prohibitionis, constitutionis, mandati, voluntatis et requisitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem Dei Omnipotentis et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Avinione, 6. Idus April. pontificatus nostri anno tertio.

Ad idem. Gregorius Episcopus servus servorum Dei charissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori, et semper Augusto salutem et apostolicam benedictionem. Fili charissime, iam longum tempus est et praeteritum, quod de erroribus et de execrabilitate quorundam scriptorum detestabilium, quae leges seu speculum Saxonum appellantur, quibus nonnulli de partibus tuarum Imperii et regni terrarum uti seu potius abuti dicebantur, per fide dignas, et intelligentes personas fuimus informati, et petatum fuit a nobis, ad quos spectat, de talibus providere, ut super eis ad salutem animarum provisionem adhibere dignemur. Nos scripta ipsa mature vidimus, et per nonnullas tam fratres nostros sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, quam per alios in sacra Theologia solennes magistros ac utriusque iuris doctores examinari fecimus diligenter, et illa ex eis, quae falsa, temeraria schismatica contra bonos mores existentia et periculosa nimium animabus fore repetimus, autoritate apostolica reprobamus, condemnamus, et decernimus irrita et inania et carere omni robore firmitatis, prout ex nostris literis inde confectis, quarum tenorem praesentibus inclusum, quasque venerabilibus fratribus nostris Moguntinensi, Coloniensi, Bremensi, Magdeburgensi, Pragensi et Rigensi Archiepiscopis, eorumque suffraganeis dirigimus, videre poteritis plenius contineri. Quare devotam excellentiam tuam, quae sancta, iusta, et honesta veneratur et colit, ac contraria detestatur, requirimus et rogamus attentius, quatenus in publicatione dictarum literarum, et ut pareatur contentis in eis, digneris pro reverentia Dei, et Apostolicae sedis et nostrae, dictaque animarum pro salute et reformatione morum, tuae Imperialis et regalis potestatis favorem efficaciter

impartiri. Datum Avinione, Idus Octobris, pontificatus nostri anno tertio.

Quatuordecim articuli erronei iuris Saxonici seu Theutonici et Maydenburgensis, per sedem apostolicam condemnati, tanquam iuri naturali et divino contrarii, quos etiam nos Alexander, Rex Poloniae, et c. Apostolico decreto innitentes reprobamus, condemnamus, nulliusque roboris et momenti decernimus perpetuo, ac per quoslibet Iudices et subditos nostros, ubilibet in dominiis nostris consistentes, districtius sub poenis nostris eosdem teneri inhibemus.

Primus articulus continet: Quod quicquid homo fecerit extra iudicium, quantumcunque hoc fit notorium, se liberare poterit per suum iuramentum, nec contra talem valet aliquod testimonium. (= Ssp. I 18 § 2.)

Secundus articulus: Papa non potest, nec aliquis alius, Dominum Imperatorem excommunicare, postquam consecratus est, et unctus, nisi solum in tribus casibus, si dubius sit in fide, si repudiat uxorem suam legitimam, si destruat Ecclesiam. (= Ssp. III 57 § 1.)

Tertius articulus, quod excommunicatio neminem debilitat in iure terrae seu feudi, nisi sequatur regularis proscriptio. (= Ssp. III 63 § 2.)

Quartus articulus, quod Papa non potest aliquo modo eius condere vel statuere, per quod valeat ius nostrum, hoc est, statutum terrae vel feudi Saxonicum, deteriorari. (= Ssp. I 3 § 3.)

Quintus articulus, quod nulla sententia tam iusta dari potest in Saxonem coram Rege vel iudicio Regali, quin si velit Saxo talem sententiam repraehendit, testans in manum suam dextram, et maiorem communitatem metseptimus pugnare volens, contra septem alios pro dicta sententia, tunc ubi maior pars triumphaverit, talis sententiam obtinebit. (= Ssp. I 18 § 3.)

Sextus articulus, quod si quis fuerit interfectus spolio vel furto, pro quo consanguineus interfecti se praebeat ad duellum, talis per duellum repellit omne testimonium, nec talis mortuus sine duello poterit vinci seu convinci. (= Ssp. I 64.)

Septimus articulus, quod si duo dictant in iudicio simul contrarias sententias, tunc quicumque talium habuerit maiorem sequelam, talis sententiam obtinebit. (= Ssp. III 21.)

Octavus articulus, quod quicumque fuerit appellatus ad duellum secundum istius libri formam, talis non potest denegare duellum, nisi appellans eum sit minus bene natus, quam appellatus. (= Ssp. I 63 § 3.)

Nonus articulus, quod quicumque perdit ius suum ratione furti vel spolii, talis accusatus secundo de furto vel spolio non potest se liberare iuramento suo, sed dilationem habet ad ferrum ignitum aut aquam bulientem, vel ad duellum, huius quidem articuli pars ultima, quae ad ferrum ignitum et caetera electionem concedit, est erronea. (= Ssp. I 39.)

Decimus articulus, quod quicumque cognoverit aliquam foeminam, si postea ducat eam in matrimonium, numquam ex ea poterit prolem legitimam generare. (= Ssp. I 37.)

Undecimus articulus, quicumque cognoverit publice uxorem alicuius vivente marito, si post mortem mariti illius talis eam ducat in uxorem, nunquam ex ea prolem legitimam generabit. (= Ssp. I 37.)

Duodecimus articulus, quod heres non tenetur de furto vel spolito perpetrato per illum, cui succedit in haereditate, respondere, quod erroneum est saltem in foro conscientiae. (= Ssp. I 6 § 2.)

Tredecimus articulus, quod quicumque succinctus cum gladio, clypeum tenens non potest de ligno vel lapide pollicis ulnam quantum ad altitudinem habentem supra dextrarium scandere, talis non potest cedere, dimittere, vel infeudare, vel etiam mobilia bona alicui dare, sic quod iste custoditus sit, qui talia post mortem dantis expectat. Iste articulus est erroneus, in quantum eleemosinas, testamenta et alia pietatis opera prohibet.

Quartus decimus articulus est, quod nullus sine licentia suorum haeredum sine iudicio bannito, quod Saxonico dicitur „geheget Ding“ potest dare proprietatem suam vel suos homines. Et si talia daret alicui, haeredes acquirunt ista per iudicium, ac si dans illa mortuus esset, isti duo articuli (= Ssp. I 52 § 1) sunt erronei, in quantum eleemosinas et alia pietatis opera prohibent. Haec in quadam extravagante beati Gregorii Papae Noni ponuntur, et reprobata sunt pro eo, quod non continent conditiones suppositas ad legem requisitas, sed magis militant contra pietatem et salutem animarum.

#### IV. Die Reaktion.<sup>1</sup>

##### 1. Prophezeiung des Alexander von Roes.<sup>2</sup>

Nr. 47.

Alexander von Roes, *Notitia saeculi* (1288), cap. 1.

Ed. Franz Wilhelm in *MIOG.* XIX, 665.

Si . . tempora preterita revolvimus, invenimus, quod ab illo tempore, in quo Fridericus secundus consecratus fuit ab Honorio II<sup>o</sup> anno domini millesimo CCXX<sup>o</sup> in statu potissimo Romanum tenuit imperium usque ad ultimum concilium, cui Gregorius decimus presedit, anni circiter quinquaginta defluerunt, infra quos adeo Romanum decreverat imperium, quod eius vix habebatur memoria et econtra in tantum Romanum creverat sacerdotium in temporalibus et in spiritualibus, quod ad pedes Romani pontificis non solum populus christianus et prelati ecclesiastici, sed etiam reges mundi, Iudei, Graeci et Tartari convenientes recognoverunt Romano sacerdotio mundi monarchiam. Cum igitur imperium non possit plus descendere, nisi penitus destruat, et sacerdotium vix plus possit ascendere, nisi prorsus abiecta auctoritate apostolica in laicalem potestatem convertatur, verisimile est, si debito et consueto procedunt res ordine, quod sacerdotium a summo statu ad infimum descendat et imperium ab infimo ad summum reascendat.

<sup>1</sup> Literatur: R. Scholz, *Die Publizistik zur Zeit Philipps des Schönen und Bonifaz VIII.* 1903. Ders., *Unbekannte kirchenpolitische Streitschriften aus der Zeit Ludwigs des Bayern.* I 1911, II 1914. Weitere Literatur bei Werminghoff, *Verfassungsgeschichte* § 21.

<sup>2</sup> W. Schraub, *Jordan von Osnabrück und Alexander von Roes.* 1910. (Heidelberger Abhandlungen, Heft 26.)

##### 2. Dante über die Himmelslichter, Schwerter, konstantinische Schenkung und den unmittelbar göttlichen Ursprung der monarchischen Gewalt.

Nr. 48.

Dante, *Monarchia*, libri tres.

ed. Carol. Witte. 1874.

III c. 4 p. 97. Dicunt enim primo, secundum scripturam Geneseos, quod Deus fecit duo magna luminaria, luminare maius, et luminare minus, ut alterum praeesset diei, et alterum nocti. Quae allegorice dicta esse intelligebant, ista duo regimina, scilicet spirituale et temporale. Deinde arguunt, quod quemadmodum Luna, quae est luminare minus, non habet lucem, nisi prout recipit a Sole; sic nec regimen temporale auctoritatem habet, nisi prout recipit a spirituali regimine . . .

(p. 102): Dico ergo, quod licet Luna non habeat lucem abundanter, nisi ut a Sole recipit, non propter hoc sequitur, quod ipsa Luna sit a Sole. Unde sciendum, quod aliud est esse ipsius Lunae, aliud virtus eius, et aliud operari. Quantum est ad esse, nullo modo Luna dependet a Sole, nec etiam quantum ad virtutem, nec quantum ad operationem simpliciter; quia motus eius est a motore proprio, influentia sua est a propriis suis radiis. Habet enim aliquam lucem ex se, ut in eius eclipsi manifestum est; sed quantum ad melius et virtuosius operandum, recipit aliquid a Sole, quia lucem abundantem, qua recepta, virtuosius operatur.

Sic ergo dico, quod regnum temporale non recipit esse a spirituali, nec virtutem, quae est eius auctoritas nec etiam operationem simpliciter; sed bene ab eo recipit, ut virtuosius operetur per lucem gratiae, quam in coelo et in terra benedictio summi pontificis infundit illi . . .

III c. 8 p. 109. Item adsumunt de litera eiusdem (sc. Matthaei) illud Christi ad Petrum: „Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis“: quod etiam omnibus Apostolis esse dictum similiter, accipiunt de litera Matthaei, similiter et Ioannis. Ex quo arguunt, successorem Petri omnia, de concessione Dei, posse tam

ligare, quam solvere, et inde inferunt, posse solvere leges et decreta Imperii, atque leges et decreta ligare pro regimine temporali; unde bene sequeretur illud, quod dicunt.

Et dicendum ad hoc per distinctionem contra maiorem syllogismi, quo utuntur. Syllogizant enim sic: Petrus potuit solvere omnia et ligare: successor Petri potest quidquid Petrus potuit; ergo successor Petri potest omnia solvere et ligare. Unde inferunt, auctoritatem et decreta Imperii solvere et ligare ipsum posse.

Minorem concedo, maiorem vero non sine distinctione. Et ideo dico, quod hoc signum universale „Omne“, quod includitur in „quodcumque“, numquam distribuit extra ambitum termini distributi. Nam si dico: Omne animal currit; Omne distribuit pro omni eo, quod sub genere animalis comprehenditur. Si vero dico: Omnis homo currit; tunc signum universale non distribuit, nisi pro suppositis huius termini: homo. Et quum dico: Omnis gramaticus; tunc distributio magis coarctatur.

Propter quod semper videndum est, quid est quod signum universale habet distribuere: quo viso, facile apparebit quantum sua distributio dilatetur, cognita natura et ambitu termini distributi. Unde quum dicitur, „Quodcumque ligaveris“; si hoc „Quodcumque“ sumeretur absolute, verum esset quod dicunt, et non solum hoc facere posset, quin etiam solvere uxorem a viro, et ligare ipsam alteri, vivente primo, quod nullo modo potest. Posset etiam solvere me non poenitentem, quod etiam facere ipse Deus non posset.

Quum ergo ita sit, manifestum est, quod non absolute sumenda est illa distributio, sed respective ad aliquid. Quid autem illa respiciat, satis est evidens, considerato illo quod sibi conceditur, circa quod illa distributio subiungitur. Dicit enim Christus Petro: Tibi dabo claves regni coelorum; hoc est: Faciam te ostiarium regni coelorum. Deinde subdit: „Et quodcumque“, quod est „Omne quod“: id est, omne quod ad istud officium spectabit, solvere poteris et ligare. Et sic signum universale, quod includitur in „Quodcumque“, contrahitur in sua distributione ab officio clavium regni coelorum. Et sic adsumendo, vera est illa propositio; absolute vero non, ut patet. Et ideo dico, quod etsi successor Petri, secundum exigentiam officii commissi Petro, possit solvere et ligare; non tamen propter hoc sequitur, quod possit solvere seu ligare decreta Imperii, sive leges,

ut ipsi dicebant, nisi ulterius probaretur, hoc spectare ad officium clavium; cuius contrarium inferius ostenditur.

III c. 9 p. 112. Accipiunt etiam illud Lucae, quod Petrus dicit Christo, cum ait: „Ecce duo gladii hic“; et dicunt, quod per illos duos gladios duo praedicta regimina intelliguntur; quae quoniam Petrus dixit esse ibi, ubi erat, hoc est apud se, inde arguunt, illa duo regimina, secundum auctoritatem, apud successorem Petri consistere.

Et ad hoc dicendum, per interemptionem sensus, in quo fundatur argumentum. Dicunt enim, illos duos gladios, quos adsignaverit Petrus, duo praefata regimina importare: quod omnino negandum est, tum quia illa responsio non fuisset ad intentionem Christi, tum quia Petrus, de more, subito respondebat ad rerum superficiem tantum.

Quod autem responsio non fuisset ad intentionem Christi, non erit immanifestum, si considerentur verba praecedentia, et causa verborum . . .

(p. 118): Quod si verba illa Christi et Petri typice sunt accipienda, non ad hoc, quod dicunt isti, trahenda sunt, sed referenda sunt ad sensum illius gladii, de quo scribit Matthaeus sic: „Nolite arbitrari, quia veni pacem mittere in terram; non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum“, etc. Quod quidem fit tam verbo, quam opere. Propter quod dicebat Lucas ad Theophilum: „quae coepit Iesus facere et docere“. Talem gladium Christus emere praecipiebat, quem duplicem ibi esse Petrus etiam respondebat. Ad verba enim et opera parati erant, per quae facerent quod Christus dicebat, se venisse facturum per gladium, ut dictum est.

III c. 10 p. 118. Dicunt adhuc quidam, quod Constantinus Imperator, mundatus a lepra intercessionem Sylvestri, tunc summi Pontificis, Imperii sedem, scilicet Romam, donavit Ecclesiae, cum multis aliis Imperii dignitatibus. Ex quo arguunt, dignitates illas deinde neminem adsumere posse, nisi ab Ecclesia recipiat, cuius eas esse dicunt. Et ex hoc bene sequeretur, auctoritatem unam ab alia dependere, ut ipsi volunt.

Positis et solutis igitur argumentis, quae radices in divinis eloquiis habere videbantur, restant nunc illa ponenda et solvenda, quae in gestis Romanis et ratione humana radicanter. Ex quibus primum est, quod praemittitur, quod sic syllogizant: Ea quae sunt Ecclesiae, nemo de iure habere potest, nisi ab Ecclesia; et hoc conceditur.

Romanum regimen est Ecclesiae; ergo ipsum nemo de iure habere potest, nisi ab Ecclesia. Et minorem probant per ea quae de Constantino superius tacta sunt.

Hanc ergo minorem interim; et quum probant, dico quod sua probatio nulla est, quia Constantinus alienare non poterat Imperii dignitatem, nec Ecclesia recipere . . . Contra officium deputatum Imperatori est, scindere imperium; quum officium eius sit, humanum genus uni velle, et uni nolle tenere subiectum . . . ergo scindere Imperium, Imperatori non licet. Si ergo aliquae dignitates per Constantinum essent alienatae (ut dicunt) ab Imperio, et cessissent in potestatem Ecclesiae, scissa esset tunica inconsutilis, quam scindere ausi non sunt etiam qui Christum verum Deum lancea perforarunt.

(p. 122): Non solum ad collationem esse licitam requiritur dispositio conferentis, sed etiam eius cui confertur: videtur enim in patiente disposito actus activorum inesse. Sed Ecclesia omnino indisposita erat ad temporalia recipienda, per praeceptum prohibitivum expressum, ut habemus per Matthaeum, sic: „Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via“, etc. Nam etsi per Lucam habemus relaxationem praecepti, quantum ad quaedam, ad possessionem tamen auri et argenti licentiam Ecclesiam post prohibitionem illam invenire non potui. Quare si Ecclesia recipere non poterat, dato quod Constantinus hoc facere potuisset de se; actio tamen illa non poterat possibilis, propter patientis indispositionem. Patet igitur, quod nec Ecclesia recipere per modum possessionis, nec ille conferre per modum alienationis poterat. Poterat tamen Imperator, in patrocinium Ecclesiae, patrimonium et alia deputare, immoto semper superiori dominio, cuius unitas divisionem non patitur. Poterat et vicarius Dei recipere, non tamquam possessor, sed tamquam fructuum pro Ecclesia pro Christi pauperibus dispensator; quod Apostolos fecisse, non ignoratur.

III 16 p. 139. Solus eligit Deus (sc. imperatorem), solus ipse confirmat, cum superiorem non habeat. Ex quo haberi potest ulterius, quod nec isti qui nunc, nec alii cuiuscumque modi dicti fuerint Electores, sic dicendi sunt; quin potius denunciatores divinae providentiae sunt habendi . . . Sic ergo patet, quod auctoritas temporalis Monarchae, sine ullo medio, in ipsum de fonte universalis

auctoritatis descendit. Qui fidem fons, in arce suae simplicitatis unitus, in multiplices alveos influit ex abundantia bonitatis.

Et iam satis videor, metam adtigisse propositam. Enucleata namque veritas est questionis illius, qua quaerebatur, utrum ad bene esse mundi necessarium esset Monarchae officium? ac illius, qua quaerebatur, an Romanus populus de iure Imperium sibi adsciverit? nec non illius ultimae, qua quaerebatur, an Monarchae auctoritas a Deo, vel ab alio dependeret immediate? Quae quidem veritas ultimae quaestionis non sic stricte recipienda est, ut Romanus princeps in aliquo Romano Pontifici non subiaceat; quum mortalis ista felicitas quodammodo ad immortalem felicitatem ordinetur. Illa igitur reverentia Caesar utatur ad Petrum, qua primogenitus filius debet uti ad patrem; ut luce paternae gratiae illustratus, virtuosius orbem terrae irradiet, cui ab Illo solo praefectus est, qui est omnium spiritualium et temporalium gubernator.

### 3. Johannes von Paris.

#### Nr. 49.

Johannes von Paris, De potestate regia et papali (1300) c. 19.  
Goldast, Monarchia (Frankfurt 1614) II 135.

Quod vero dicitur de duobus gladiis: respondeo, non est hic nisi quaedam allegatio allegorica, ex qua non potest sumi argumentum: quia secundum Dionysium, mystica Theologia non est argumentativa. Et Aug. dicit in epistola ad Vincentium, quod allegoria non sufficit ad probationem alicuius, nisi cum eius habeatur aliunde auctoritas manifesta. Possum etiam dicere, quod per illos duos gladios intelligunt omnes mystice verbum Dei, iuxta illud Apost. Ephes. 6. Accipe lorica m fidei, gladium spiritus, quod est verbum Dei. Quod autem dicitur, duo gladii, propter novum et vetus Testamentum: et per duos gladios intelligunt gladium verbi, et gladium instantis persecutionis. De quo dicitur Lucae 2. beatae Virgini, tuam ipsius animam pertransibit gladius. Et 2. Regum 12. Non recedet gladius de domo tua: et ii sufficere tunc dicebant. Et horum unus erat Apostolorum passive, qui ab eis sustinendus, scilicet gladius persecutionis; alius autem erat eorum

proprie, quia ab eis pro tempore competenti evaginandus, scilicet gladius verbi Dei. Dato autem quod per illos duos gladios, quos habebant Apostoli, intelligantur duae potestates, scilicet spiritualis et temporalis: quae licet dicantur ibi esse, tamen non dicuntur ambae esse Petri vel alterius Apostoli, nam unum eorum non tetigit Petrus, sc. secularem, qui suus non erat. Alium vero tetigit, scilicet spiritualem, quem solus Dominus dixit esse suum, et tamen non statim evaginandum a Petro, unde dictum est ei: Pone gladium tuum in vaginam, quia certe non debet statim, sed cum magna deliberatione, et in necessitate magna, iudex Ecclesiasticus uti suo mucrone spirituali, ne contemnatur. Posito igitur quod per illos duos gladios mysticae illae duae potestates intelligantur, pro nobis est: quia cum essent duo, Petrus non habuit suum nisi unum, propter quod etiam dicit Deus Math. 10: Non veni pacem mittere, sed gladium, vel signanter dicit gladium, non gladios, et in persona Christi dictum est in Psalmo: Accingere gladio tuo super etc. Et Apoc. I. de filio sedente in medio candelabrorum, et 19. de illo qui dicitur verbum Dei: dicitur quod ex ore eius exibat gladius, ex utraque parte acutus. Ecce ergo quod a Christo non habet nisi unum. Potest nihilominus dici: quod duo gladii ibi dicuntur fuisse, et ad Apostolos pertinere quia unus apostolis et eorum successoribus convenit per se, quem a Christo habent: alius vero suus est aptitudine, quia eis non repugnat: et ex commissione et permissione principum suus erat futurus. Potest etiam dici, quod dicta auctoritas Bernardi pro nobis est, quia dicit quod utrunque est Ecclesiae: sed materialis pro ecclesia, spiritualis vero ab ecclesia exercendus: iste sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum sacerdotis et iussum Imperatoris, ubi signanter dicit, ad nutum sacerdotis, et non per manum, vel ad iussum eius: quia in hoc non habet auctoritatem iubendi vel compellendi, sed solum innuendi, si voluerit Imperator.

c. 21 l. c. p. 138 (Recursus ab abusu): Est enim licitum principi, abusum gladii spiritualis repellere, eo modo quo potest, etiam per gladium materiale: praecipue ubi abusus gladii spiritualis vergit in malum Reipublicae, cuius cura regi incumbit, aliter enim sine causa gladium portaret.

## 4. Marsilius von Padua.

Nr. 50.

Marsilius von Padua, Defensor pacis II 5.

M. Goldast, Monarchia II 201.<sup>1</sup>

Si praecepit imperator aliquid faciendum contra legem salutis aeternae, quae Dei praeceptum est immediatum, in hoc imperatori non esse obtemperandum, in quo papae praecipienti secundum hanc legem sc. divinam magis esset obtemperandum, quam imperatori praecipienti quicquam agendum contrarium legi divinae. Sed papae praecipienti aliquid secundum suas Decretales inquantum huiusmodi, nihil obediendum contra imperatoris seu legum suarum praeceptum.

Ab hac subiectione (Rom. 13: omnis anima subdita sit) etiam neminem Apostolus excipit cum dixit: omnis anima. Si ergo resistentes huiusmodi potestatibus, etiam infidelibus et malis, sibi damnationem aeternam acquirunt, quanto magis indignationem omnipotentis Dei, et huius apostoli Pauli atque Petri acquirunt sibi, qui hac Dei et horum apostolorum contempta doctrina, dudum turbarunt et turbant continuo fideles reges et principes, et maxime ac inexcusabiliter Romanorum. Principes enim ministri sunt Dei, ut dixit Apostolus, nec dixit, ministri nostri sunt, vel Cephae aut alterius apostoli. Et ideo nec in iudicio coactivo subiecti alicui episcopo vel presbytero sed magis e converso. Quod etiam glossa secundum Aug. explicavit, dum dixit: ergo si aliud imperator, aliud Deus iubeat etc. nullum episcopum aut archiepiscopum aut patriarcham nominando in talibus iurisdictionibus, quod tamen fecisset aut facere debuisset, si Christus rex regum et dominus dominantium hanc potestatem sibi concessisset super imperatorem, ut ipsi fabulantur in suis Decretalibus, quae secundum veritatem nihil aliud sunt, quam ordinationes quaedam oligarchicae, quibus in nullo tenentur obedire Christi fideles.

<sup>1</sup> Vgl. jetzt R. Scholz, Marsilius von Padua, Defensor pacis. Für Übungszwecke bearbeitet. 1914. (Quellensammlung zur deutschen Geschichte, herausgegeben von E. Brandenburg und G. Seeliger.)

II 9 (p. 215). Ecce ergo secundum Christi oraculum evangelicum et sanctorum expositionem, quod Christus non exercuit in hoc saeculo iudiciariam potestatem, coactivam scilicet, quam tertia significationis diximus. Sed potius in forma servi existens, ab alio iudicatus est tali iudicio, et quod talem iudiciariam potestatem coactivam, cum exercuerit in alio saeculo, tunc apostoli cum ipso sedebunt ad iudicandum tali iudicio, non antea.

II 25. Iam dicta quidem igitur plenitudine potestatis, et in deterius continuo secundum processum sic hactenus usi sunt Romanorum episcopi et utuntur, magis tamen adversus principem et principatum Romanum . . . hunc ergo principatum quaerentes subvertere Romanorum episcopi, supponunt . . . se divino vel humano iure aut utroque fortassis superioritatem habere ad Romanum principem seu imperatorem, sive creatum sive creandum, imperialem quoque potestatem sive iurisdictionem illis convenire, vacante imperio . . . Voluerunt enim Romanorum principum quidam citra tempora Constantini electionem de se factam amicabiliter significare Romanis pontificibus, ut in eorum persona Christo singularem reverentiam exhibentes ab eo per pontificum intercessionem amplio-rem benedictionem et gratiam ad suum gubernandum imperium obtinerent. Eodemque aut consimili quasi modo propter suae inthronizationis solennitatem et signum et amplio-rem Dei gratiam obtinendam, Romanorum quidem imperatores diadema regum imponi sibi fecerunt per Romanos pontifices: quam siquidem impositionem pontifici Romano plus auctoritatis tribuere super Romanum principem, quam Remensi archiepiscopo super regem Francorum, quis dicet? Non enim conferunt huiusmodi solennitates auctoritatem, sed habitam vel collatam significant. Ex hac quidem igitur reverentia sic sponte per Romanos principes exhibita, quaerentes saepius quae sua non sunt, episcopi Romanorum induxerunt consuetudinem et abusum verius propter principum simplicitatem, non modo dicam ignaviam, laudationem electae personae ac benedictionem, quam super illam mittebant, vocaliter aut in scriptis vocare confirmationem electionis praedictae. Nec attendentibus olim Romanis principibus, quae sub hac appellationis figura latebat intentio, sic ipsam successive subinduxerunt latenter, nunc vero patenter Romani pontifices, ut nullus quantumcumque convenienter electus in Romanorum regem rex vocari debeat

neque regis Romanorum auctoritatem habeat aut exercent, nisi per Romanum episcopum fuerit approbatus . . . Nam si electi regis auctoritas penderet a solius Romani episcopi voluntate, inane penitus est officium eligentium, quoniam per ipsos electus neque rex est neque rex vocari debeat, antequam per suam voluntatem sive auctoritatem (quam vocat sedem apostolicam) confirmetur, neque regalem auctoritatem aliquam sic electus exercere potest. Quinimo quod nedum pati, verum etiam audire onerosum est valde, nemini licebit electo ex proventibus imperii absque huius episcopi licentia quotidianos sibi sumere sumptus. Quid ergo aliud sibi tribuit auctoritatis principum electio, quam nominationem, ex quo ipsorum determinatione ab unius solius alterius voluntate dependet? Tantam enim septem tonsores aut lippi possent Romano regi auctoritatem tribuere.

III. cap. 2 conclus. 7 (l. c. 310). Decretales vel decreta Romanorum aut aliorum quorumlibet pontificum communiter aut divisim absque concessione legislatoris humani constituta neminem obligare poena vel supplicio temporali, seu seculi huius.

conclus. 9. Principatum electum aut alterum qualecunque officium a sola electione auctoritatem habentis ad illam nullaque alia confirmatione seu approbatione pendere.

conclus. 14. Principatum seu iurisdictionem coactivam, supra quemquam clericum aut laicum, etiam si haereticus extet, nullum episcopum vel sacerdotem in quantum huiusmodi ullam habere.

conclus. 31. Neminem subditum et per iuramentum licitum alteri obligatum absque causa rationabili per fidelem legislatorem tertiae significationis iudicio iudicanda per Episcopum aut Presbyterum aliquem solvi posse huiusque oppositum adversari sanae doctrinae.

conclus. 37. A iudicio coactivo, Episcopo vel sacerdoti concesso, semper ad legislatorem contententem liceat appellare, vel ad eius auctoritate principantem.

5. Absetzung Johannis XXII.  
durch Ludwig den Bayern, 18. April 1328.

Nr. 51.

MG. Const. VI 344.

Ludovicus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus. Ad eternam rei memoriam.

Gloriosus Deus et sublimis dominantium dominus nulli secundus, qui universa propter semetipsum operatus est, impium quoque ad diem malum, sacerdotium et imperium independenter principians et conservans, ut hoc quidem divina exerceat, illud autem humanis presideat rempublicam sibi traditam recte ac magnifice gubernando, nos Ludovicum quartum Romanorum imperatorem semper augustum in imperialis culmine maiestatis constituit et in hoc quia nos in principem super hereditatem suam inunxit ut de manibus inimicorum suum populum liberemus, exaltans nos super gentes et regna, ut pacis subversores disperdamus ubique, zelatores vero eiusdem plantemus et edificemus, creans fructum laborum nostrorum pacem hiis qui longe sunt et hiis qui prope. Eapropter ex imperialis celsitudinis debito excessus enormes Iacobi de Caturco (Iohann XXII.), qui nunc se papam licet mendaciter asserere non veretur, dissimulatione diuturniori nullatenus sufferre volentes, innato moti iustitie zelo nunc preeminentia maiestatis imperialis adaucto domum paternam filiosque nostros carissimos impuberes hostilium incursum discriminiibus iam actu expositos fortune periculis committentes celeri cursu in Italiam venimus ad sedem nostram precipuam Romam videlicet properantes. Quam divino suffulti auxilio pacifice attigimus nulla hostili resistencia prepediti, universis terrarum quas pertransivimus incolis ab omni dampno atque disturbo preservatis. In qua siquidem Urbe divina opitulante providentia cesareo diademate ac sceptro legitime susceptis per nostrum Romanum peculiarem populum Urbi et orbi Dei ac nostra potentia invincibili presidemus, ut manus nostre fortitudine triumphali rebelles, qui pro nunc a nobis suo domino naturali longe sunt, corripimus potenter fidelesque nostros ab angariis et persecutionibus tyrannicis insuperabili potestate Dei et nostra efficaciter eruamus . . .

Numquid ergo bene iste pseudopropheta (Iohann XXII.) in Apocalipsi describitur sub figura sedentis in equo rufo qui exivit, ut sumeret pacem de terra et ut homines invicem se interficerent, terram proh dolor inebrians ovium Christi sanguine, venam fontis pietatis et clementie funditus arefaciens, in qua tamen vena discipline Christi summa consistit. Adhuc autem pseudo iste propheta se esse veritatis evangelice ac Dei ordinationis publicum subversorem evidentissime declaravit, dum doctrinam Christi et apostolorum verbo traditam et exemplo firmatam de superioritate ac dominio et gubernatione temporalium imperiali celsitudini debita et nostris fidelibus obedientiam legitimam transgredi precepit, ipsam superioritatem sibi superbie fastibus usurpando, attentans et satagens quamvis illicite imperialem et sacerdotalem simul dignitatem et potestatem habere, quas Christus ipse in suppositis voluit esse distinctas, dum ostenso sibi numismate cesaris ymagine figurato ea que sunt cesaris, dominationem videlicet temporalium in usualis numismatis redditione signatam, cesari iussit reddi, quod quidem numisma in huius dominationis evidentiam solum imperiali auctoritate ubique cuditur et formatur, ea vero que Dei sunt Deo reddi precepit, adiciens „et que sunt Dei“. Amplius Christus ipse ne nolle imperatoris et sacerdotis officium insimul ab ullo eius vicario seu ministro ullaatenus possideri per facti evidentiam propalavit, dum ipse cui soli, quia verus Deus et verus homo, data fuit in celo et in terra universa potestas regnum seu imperium terrenum et omne dominium temporale a se penitus abdicavit, prout Iohannes evangelista testatur, ubi ait: „Jesus autem cum cognovisset, quod venturi essent, ut raperent eum et facerent eum regem, fugit iterum in montem solus“, quod et alibi Christus expressius innuit ubi dicitur: „Regnum meum non est de hoc mundo“, subiungens: „Si de hoc mundo esset, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudeis“ et sequitur: „Nunc autem regnum meum non est hinc.“ Cui etiam decretiste assentiunt dicentes papam non habere utramque iurisdictionem, quoniam a Deo ex ipsa electione iurisdictionem et potestatem in temporalibus nos solus recipimus, unde eo ipso quod sumus electi, sumus etiam confirmati, nulla prorsus confirmatione fienda per homines indigentes. Ex quibus hic veritatis evangelice et pacis ecclesiastice emulus indefessus Iacobus antedictus notorie deprehensus est non ad voces propheticas, non ad series evangelicas,

sed ad suum reprobum sensum tamquam magister erroris seu heresiarcha notorius perfide recurrere, maxime in processibus immo potius excessibus contra sacrum imperium in persona nostra productis, in quibus convincitur evangelice veritatis quantum ad potestates per Christum discretas impugnatore et subversor notorius extitisse ipsosque suos vocatos processus nullos esse et nullius firmitatis efficaciam habuisse cogitur confiteri, presertim cum dictos processus vocatos ea notoria iniusta occasione confinjerit, quoniam sacrum Romanum imperium quoad temporalium administrationem noluimus sicut nec debuimus recognoscere eidem fore subiectum . . .

Cum hic prevaricator nepharius divine dispositionis ordinem sacerdotio et imperio prestitum publice impugnaverit statu sui vicariatus abutens enormiter, dum gladio sanguinis uti precipit pro gladio spiritus quod est verbum Dei, hinc est quod nos zelo iustitie atque reipublice, quam exornare et ad optima queque perducere concupiscimus, auctoritate nobis in hoc casu celitus ordinata contra quoslibet fidei ac veritatis sancte matris ecclesie turbatores, quam siquidem auctoritatem divina voluntas Petro apostolo teste regali seu imperiali precellentie concessit in vindictam malorum, laudem vero bonorum, propter quod etiam secundum apostolum non sine causa gladium portamus, quia Dei minister sumus et iudex in iram ei qui malum agit existimus, prefatum Iacobum, cui cum sit veritatis evangelice notorius contradictor et manifeste hereticus purgatio canonica rigore iuris nequaquam est indicenda, predecessorum nostrorum videlicet Ottonis primi, qui cum clero et populo Romano Iohannem XII. deposuit a papatu et cum prefato clero et populo de alio pastore Urbi et orbi providit, et aliorum quam plurium imperatorum vestigiis inherere volentes, ipsum Iacobum in heresi deprehensum tam ex facti evidentia, quia heresim publice predicat perfectionem altissime paupertatis in Christo penitus denegando, ex quo sequeretur Christum non fuisse perfectissimum viatorem, quam ex confessione propria, ut liquet ex iniquis ac temerariis vocatis processibus ab ipso contra sacrum imperium in nostra persona factis, in quibus profecto Dei ordinationi resistit sibi que dampnationem acquirit et se ipsum pro crimine lese maiestatis reatu plectendum constituit, eo quod indigne gerit et gessit vicariatus officium ab eo tempore, quo in alterum criminum

predictorum dignoscitur notorie lapsus fuisse, a Christo privatum esse et fuisse denunciatus nostreque imperialis auctoritatis sententia episcopatu Romano et universali ecclesia Dei seu papatu tenore presentium privamus et ab eodem deponimus in hiis scriptis, sententiam inquam lata de communi consilio, consensu et requisitione cleri et populi Romani, nostrorum principum et ecclesie prelatorum tam Alamannorum quam Italicorum aliorumque fidelium plurimorum, moti nichilominus et in ducti supplicationibus atque instantiis plurimis syndicorum cleri et populi Romani plenam ad hoc eiusdem cleri et populi Romani habentium auctoritatem et liberam potestatem ac speciale mandatum, prout apparet ex oblati maiestati nostre sindicatus eorum publicis instrumentis sigillis sepedicti cleri et populi Romani signatis, quas quidem supplicationes et instantias propter nostre salutis eterne dispendium noluimus, sicut nec debuimus recusare. Unde sepedictum Iacobum omnis ecclesiastici ordinis prerogativa nudatum et officio ac beneficio spoliatum tenore presentium subicimus secularis nostrorum ministrorum arbitrio potestatis, ab omnibus feudatariis et iustitiariis nostri sacri imperii, ubicumque deprehensus fuerit, velut hereticum animadversione debita puniendum.

## 6. Kurverein von Rense 16. Juli 1338.

### Nr. 52.

Weistum über die Königswahl.

K. Zeumer, Quellensammlung 2 183.

In nomine Domini amen. Per hoc presens instrumentum publicum universis pateat evidenter, quod anno ab incarnatione eiusdem MCCCXXXVIII, die XVI. mensis Iulii, hora quasi septima eiusdem diei, indictione VI, pontificatus domini Benedicti pape XII anno quarto, in pomerio sito iuxta villam Rensem super alveum Reni, ubi principes electores sacri imperii Romani ad habendos tractatus super electionibus aut aliis negociis ipsius imperii solent ut plurimum convenire, reverendi in Christo patres ac domini domini Henricus Maguntine, Walranus Coloniensis et Baldwinus Treverensis ecclesiarum archiepiscopi necnon illustres

principes et domini domini Radulphus, Rupertus et Rupertus ac Stephanus, representantes comitem palatinum Reni, cum non esset diffinitum, quis eorum comes esse debeat vocem habens, necnon Radulphus dux Saxonie ac Ludovicus marchio Brandenburgensis invicem congregati et presentialiter constitui super iuribus imperii et consuetudinibus eiusdem pertractandis, habitis quoque [tractatibus] cum quam pluribus sepe dicti imperii fidelibus clericis et laicis ibidem similiter presentibus vocatisque nobis tribus notariis publicis propter hoc, concorditer et conformiter, factis inter eos ipsos per ordinem sub prestitis eorum iuramentis requisitionibus, prout moris est ipsorum principum, diffinitive dixerunt, iudicaverunt et diffiniendo pronunciaverunt: hoc esse de iure et antiqua consuetudine imperii approbata, quod, postquam aliquis a principibus electoribus imperii vel a maiori parte numero eorundem principum etiam in discordia pro rege Romanorum est electus, non indiget nominatione, approbatione, confirmatione, assensu vel auctoritate sedis apostolice super administratione honorum et iurium imperii sive titulo regis assumendis, et quod super hiis merito talis electus non habet recurrere sedem ad eandem, sed quod sic est habitum, obtentum et observatum a tempore, de cuius principio memoria non existit, quod electi a principibus electoribus imperii concorditer vel a maiori parte, ut supra, sibi titulum regium assumpserunt ac bona et iura imperii administrarunt, et quod de iure et consuetudine hoc licite facere potuerunt et poterunt, nulla approbatione vel licentia dicte sedis apostolice super hoc habita et obtenta. Hiis pronuntiatis et taliter diffinitis prefati domini principes electores omnes et singulos ibidem in eorum tractatibus et consilio tunc presentes fideles et vasallos imperii sub eorum iuramentis imperio debitibus seu prestitis singulariter requisierunt, quod ipsis super tractatis et diffinitis ac pronuntiatis imperii iuribus et consuetudinibus videretur. Qui omnes et singuli per eadem verba vel hiis similia pronuntiando, sententiando, diffiniendo in eo finaliter concordaverunt, in quo supradictorum electorum principum mens resedit.

## 7. Gesetz Ludwigs des Bayern.

Nr. 53.

Konstitution Ludwigs des Bayern Licet iuris 6. August 1338.

Karl Zeumer in „Neues Archiv“ XXX (1905) S. 100 ff.;  
Dess. Quellensammlung<sup>2</sup> 184.

Ludovicus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus. Ad eternam rei memoriam. Licet iuris utriusque testamenta manifeste declarent, imperialem dignitatem et potestatem immediate a solo Deo ab initio processisse et Deum per imperatorem et reges mundi iura humano generi tribuisse, ac quod imperator ex sola electione eorum, ad quos pertinet electio, verus efficitur imperator nec alicuius alterius eget confirmatione seu approbatione, quoniam in temporalibus superiorem non habet in terris, sed eidem omnes subsunt nationes, et ipse dominus Iesus Christus mandavit, que sunt Dei Deo et que sunt cesaris cesari fore reddenda; quia tamen aliqui avaritie et ambitionis cecitate devicti et nonnulla scripture, intelligentiam se habere fatentes, sed divertentes a tramite recti sensus, in quedam iniqua et prava commenta et in assertionibus detestabilibus prorumpunt contra potestatem et auctoritatem imperialem et iura electorum imperatorum et aliorum principum et imperii fidelium mendaciter et fallaciter asserentes, quod imperialis dignitas et potestas est a papa, et quod electus in imperatorem ex electione non est verus imperator nec rex, nisi prius per papam sive per sedem apostolicam confirmetur, approbetur et coronetur, et per huiusmodi pravas assertiones et pestifera dogmata hostis antiquus moveat lites, iurgia suscitet, contentiones pariet et seditiones procuret: ideo ad tantum malum evitandum de consilio et assensu electorum et aliorum principum imperii declaramus, quod imperialis dignitas et potestas est immediate a solo Deo, et quod de iure et imperii consuetudine antiquitus approbata est, quod postquam aliquis eligitur in imperatorem sive in regem ab electoribus imperii concorditer vel a maiori parte eorundem, statim ex sola electione est verus rex et imperator Romanorum censendus et nominandus, et eidem debet ab omnibus imperio subditis obediri, et administrandi bona et iura imperii et

cetera faciendi, que ad imperatorem verum pertinent, habet plenariam potestatem, nec pape sive sedis apostolice aut alicuius alterius approbatione, confirmatione et auctoritate indiget vel consensu. Et hac in perpetuum valitura lege decernimus, ut electus in imperatorem concorditer vel a maiori parte electorum ex sola electione censeatur et habeatur ab omnibus pro vero et legitimo imperatore, et eidem ab omnibus subiectis imperio debeat obediri, et administrationem et iurisdictionem imperialem et imperialis potestatis plenitudinem habeat et habere ac obtinere ab omnibus censeatur et firmiter asseratur. Quicumque autem contra hec declarata, decreta et diffinita vel aliquid eorum asserere seu dicere aut asserentibus seu dicentibus consentire vel eorum mandatis litteris vel preceptis obedire presumpserint, eos omnibus feudis, que ab imperio detinent, et omnibus gratiis, iurisdictionibus, privilegiis et immunitatibus a nobis vel predecessoribus nostris eis concessis ex nunc privamus et ipso iure et facto decernimus esse privatos. Insuper eos crimen lese maiestatis decernimus incurrisse et penis omnibus impositis crimen lese maiestatis committentibus subiacere.

In quorum omnium testimonium presentem legem sive edictum conscribi iussimus et nostre maiestatis bulla fecimus communiri.

Facta fuit hec lex et publicata in opido nostro de Franchenvurt, VI. die Augusti, anno Domini MCCCXXXVIII, regni nostri anno XXIII, imperii vero XI.

#### 8. Occam.

##### Nr. 54.

Occam, De imperatorum et pontificum potestate (ca. 1347) c. 17.

R. Scholz, Unbekannte kirchenpolitische Streitschriften II 472.

Videndum est itaque, que sunt opera Avinionice ecclesie, que bono animo fieri nequaquam possunt, per que aliis iniuriari dinoscitur. Et quidem primo sciendum est, quod specialiter iniuriatur Romano imperio, vendicando sibi pinguius ius temporale super ipsum, quam super alia regna; nam tale ius super Romanum imperium non habet neque a iure divino nec a iure humano. Non a iure divino, quia

de huiusmodi iure super Romanum imperium in scripturis divinis nihil habetur; nec a iure humano, quia talis iuris humani alius quam imperator conditor esse non posset. Imperator autem tale ius super imperium in preiudicium successorum suorum pape dare non posset; licet enim res aliquas que spectant ad imperium aliis dare possit, imperium tamen non potest homini subiugare, ut minus iuris habeant successores sui, quam ipse, cum non habeat imperium par in parem, et verus successor eodem iure uti debeat, quo ille, in cuius ius succedit, extra de regulis iuris, Si quis, libro 6<sup>o</sup> (= c. 46 in VI<sup>to</sup> 5, 12).

c. 19. Adhuc per predicta ostenditur, quod ecclesia Avinionica iniuriatur Romano imperio, asserendo imperium esse a papa, quia cum sicut ostensum est, papa non habeat pinguius ius super Romanum imperium, quam super regnum Francie et alia regna, que non sunt a papa, ut liquido constat, et papa innuitur specialiter de regno Francie, extra qui filii sunt legitimi, per venerabilem (= c. 13 X 4, 17), concluditur manifeste, quod Romanum imperium non est a papa. Amplius Romanum imperium fuit ante papatum, ergo in sui principio non fuit a papa et per consequens nec post institutum papatum est a papa; et ex isto sequitur, quod si papa in aliquo, nisi forte petendo specialiter necessitates suas ab imperatore, si est fidelis, pro eo quod est specialiter episcopus urbis Romane, se in aliquo intromittit de Romano imperio ipsis invitis, ad quos spectat dispositio eiusdem imperii, aliter quam de aliis regnis vel aliter quam ab imperatoribus ordinatum extitit, sive vacante imperio sive non vacante, eidem iniuriatur imperio, mittendo falcem suam in messem alienam, quia talem potestatem non optinet super Romanum imperium neque a iure divino neque iure humano.

c. 20 (S. 473). Adhuc ecclesia Avinionica iniuriatur Romano imperio asserendo, quod ad ipsam spectat admissio seu approbatio electi in regem seu imperatorem Romanorum, ita ut ante talem admissionem seu approbationem non possit de iure nullum regimen et titulum sibi assumere nec se administrationi regni seu imperii immiscere. Nam sicut ostensum est prius, papa non habet pinguius ius super imperium seu super personam imperatoris, quam super alia regna et alios reges. Alia autem regna et alii reges, saltem plures et plura, nequaquam taliter subiciuntur pape, ut ante admissionem seu approbationem a papa non

possint de iure nullum regimen et titulum sibi assumere et se administrationi regnorum suorum immiscere; ergo nec electus in regem seu imperatorem Romanorum taliter pape est subiectus. Talis enim specialis subiectio imperatoris nec est de iure divino, ut liquet omnibus intelligentibus scripturas sacras, nec ex iure gentium, quod precessit imperium, nec ex iure civili, ut patet. Nec est ex iure canonico, quia papa non habet potestatem subiciendi sibi taliter imperatorem, sicut nec habet potestatem subiciendi sibi taliter alios reges; nec ex consuetudine est talis subiectio, quia consuetudo non habet vim legis, nisi sit rationabilis (c. 11 X 1, 4), presertim que iuri vel libertati, que tolli non debet ab invito, preiudicare dinoscitur. . . . Sed talis consuetudo, ut electus in regem Romanorum seu imperatorem abstineret a predictis ante admissionem seu approbationem per papam, numquam fuit obtenta contradictorio iudicio, ergo non preiudicat sic electo. Adhuc electus ad aliquam dignitatem, qui confirmatione non indiget, potest sibi nomen huiusmodi dignitatis assumere et se administrationi eiusdem dignitatis immiscere, licet non admittatur nec approbetur ab illo, qui non est eo, quantum ad huiusmodi dignitatem, superior.



## Beachtenswerte Werke über kanonisches Recht und Quellen.

**Dr. Eduard Eichmann,**

Universitäts-Professor in Prag.

### Acht und Bann im Reichsrecht des Mittelalters.

1909. XV u. 157 Seiten. № 4,40.

Privatdozent **Dr. E. Perels-Berlin** in „Historische Vierteljahrschrift“ 1911, S. 579:

„Für das Thema ‚Acht und Bann‘ ist jedenfalls sein (Eichmanns) inhaltreiches, mit Gründlichkeit, kritischem Sinn und genauer Kenntnis des kanonischen Rechts gearbeitetes Buch als grundlegend zu betrachten.“

### Das Strafrecht der öffentlichen Religionsgesellschaften in Bayern.

1910. X u. 105 Seiten. № 3,—.

Universitäts-Professor **Dr. A. Arndt-Königsberg** in „Theologische Literaturzeitung“ 1912, Nr. 3, S. 89 ff. nennt das Buch eine „durch Stoffülle, große Sachlichkeit und juristische Schärfe ausgezeichnete, für das bayerische, wie sonst z. B. auch für das preussische Kirchenstaatsrecht verdienstvolle Abhandlung“.

### Die Kanonessammlung des Kardinals Deusdedit.

I. Band: Die Kanonessammlung selbst.

Mit Unterstützung der Savigny-Kommission der Kaiserlichen Akademie der Wissenschaften in Wien.

Neu herausgegeben von

**Dr. Viktor Wolf von Glanvell,**

Professor der Rechte an der Universität Graz.

Mit drei Lichtdrucktafeln. 44<sup>1</sup>/<sub>2</sub> Bogen. Lex.-Oktav. Brosch. № 28,—.

Inhaltsverzeichnis: Vorwort. — Einleitung. — 1. Deusdedit's Leben und Werke. — 2. Die Handschriften. — 3. Die bisherigen Drucke. — 4. Die neue Ausgabe. — Die Kanonessammlung selbst. — Anhang. — Alphabetisches Verzeichnis der Kapitelanfänge.

### Die Summa Decretorum des Magister Rufinus.

Herausgegeben von

**Dr. Heinrich Singer,**

Professor an der deutschen Universität Prag.

Mit Unterstützung der Gesellschaft zur Förderung deutscher Wissenschaft, Kunst und Literatur in Böhmen.

570 u. CLXXXIII Seiten. Lex.-8. Preis № 26,—.

**REV15**

**Dr. Carl Rueß,**

Repetent am Wilhelmsstift Tübingen,

**Die rechtliche Stellung der päpstlichen Legaten bis Bonifaz VIII.**

Von der katholisch-theologischen Fakultät preisgekrönt.  
264 Seiten. gr. 8. *ℳ* 8,—.

**Didascalia et constitutiones Apostolorum.**

Edidit

**Dr. F. X. Funk.**

I. vol. 760 Seiten. gr. 8.  
II. vol. Testimonia et scripturae propinqua. 252 Seiten. gr. 8.  
Preis beider Bände *ℳ* 34,—.

**Dr. Viktor Wolf von Glanvell,**

Universitäts-Professor,

**Die letztwilligen Verfügungen nach gemeinem kirchlichen Rechte.**

304 Seiten. gr. 8. Brosch. *ℳ* 6,—.

**Dr. Josef Freisen,**

Professor an der Universität Würzburg,

**Geschichte des kanonischen Eherechts  
bis zum Verfall der Glossenliteratur.**

Zweite, mit einem Nachtrag versehene Ausgabe.  
962 Seiten. gr. 8. Brosch. *ℳ* 20,—.

**Dr. Ludwig Ebert,**

**Der kirchenrechtliche Territorialismus in Bayern  
im Zeitalter der Säkularisation.**


Ein Beitrag zur Geschichte des Verhältnisses  
von Staat und Kirche in Bayern.  
108 Seiten. gr. 8. Brosch. *ℳ* 4,—.

**Dr. Januarius Pater,**

**Die bischöfliche visitatio liminum ss. Apostolorum.**

Eine historisch-kanonistische Studie.  
164 Seiten. gr. 8. br. *ℳ* 5,—.

ÚK PrF MU Brno



3129S03501